

[illegible] Liber 7 Cap 24
[illegible] Simonides
[illegible] nihil probabit.
[illegible] Aristoteles de Natura
natura nihil facit frustra

[illegible] in [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] non potest [illegible]

[illegible]

Omne quod [illegible] hoc [illegible]
B M [illegible] Christum concedit
[illegible]
[illegible] admonui

Scotus [illegible]

Mathias Posnanien[sis]

A D 1 5 6 9

constat 18 gr

[illegible]

Corpus quod corrumpitur aggravat animam

Hoc genus tercium denominandi appellant alii accidentali, qui est triplex.

1 primo ipsa substantia denominatur ab accidente [illegible] [illegible] substantia subsistentia denominatur ratione eorum quae sunt accidentia

2 accidentia in substantia

3 cum ipsa accidentia ab accidentibus denominantur [illegible] color accidens vel genus vel species

Tamen dumquam [illegible] [illegible] substantia est [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] sit

TABVLÆ
PETRI MOSELLANI DE SCHEMATIBVS ET Tropis, iam recens compluribus figuris locupletatæ, varijsq́ nouis autorum optimorum exemplis illustratæ:

PER REINHARDVM Lorichium Hadamarium.

CVM INDICE.



FRANCOFORDIÆ IN OFFICINA IOHANNIS EICHORNI.

AD ILLV-
STRISSIMVM PRINCIPEM D. ERI-
cum Ducem in Brunſwig, & Lüneburgk, &c. Do-
minum ſuum clementiſsimum, Epigramma
dedicatorium Reinhardi Lorichij
Hadamarij.

ILle tuus candor facit illuſtriſsime Princeps,
Vt iuuet iſta recens ſcripta dicare tibi.
Eſt tua maieſtas & tanta potentia, uallo
Infracto magis ut tuta futura putem.
Et fauſtum retinent, quæ ſunt mihi prodita, curſum
Nominis auſpicio proſperiore tui.
Teſtis adeſt Latius princeps meus ille, coruſca
Quod tua plus gratum gloria fecit opus.
Cui tua ſeruatrix clementia fulget, iniquo
Vortice iactatis ut Cynoſura uiris.
Quod pauido ſubdit calcar, ſimul admonet ædam
Pectoris ut grati, iam noua ſigna mei.
Ergo Moſellani tabulas, & σχήματα uultu
Suſcipias hilari, quo mea ſcripta ſoles.
Quæ iuueni dignis memoratu pluribus auxi
Rebus, & exemplis conſpicienda nouis.
His precor aſpira, bonitatis carbaſa pandens,
Ne uoret inſono dira Malæa freto.

Sic aſſertori poterunt tibi forſitan olim
    Fundere non minimas utilitatis opes.
In ſtudijs tantum modo qui progreſſus honeſtis,
    Grammaticæ ſolidam ieceris atq; baſim.
Vt tibi Rhetorici flores, & amœna petenda
    Germina Pæſtanis ſunt potiora roſis.
Quæ tibi multa, uelut iucunda roſaria monſtrat
    Hic fructu præſens uberiore liber.
Et dabit ut magna captus dulcedine, & amplo
    Dogmata prouentu uoluere cuncta queas.
Vt recreant blandis ridentia prata uiretis,
    Aruaq; diuerſo picta colore iuuant.
Autores ſic te capient, ubi uideris ipſos
    Flores, ſcripta quibus clarificata micant.
Quos retinent largo diuina uolumina cultu,
    Aſtra uelut ſtellis irradiata ſuis.
Illius at cæca fultum caligine pectus
    Qui legit, atq; ſtrabo lumina nulla uidet.
Qui canis è Nilo tanquam bibit, atq; recedit
    Ocyus, è ſtudijs commoda parua trahens.
Tu Lilybæus uti Lynceus uiſurus acutum,
    Frugibus innumeris gaudia plena feres.
Moxq; & in autorum campis ſpaciatus amœnis,
    Serta metes, rutilo ſplendidiora Tago.
Omne genus florum ſi non monſtrarit ad unguem
    Iſte liber, ſi non luminis omne genus.

INDEX.

Cuncta (scias) ægrè comprendi posse, quod ipsum
Cælius affirmat, Quintilianus item.
Omnia differto tibi lectio cætera cornu
Est fusura, dabunt cuncta petita libri.

INDEX FIGVRARVM.

INDEX.

Ισχνό

INDEX.

DE

DE SCHEMATIBVS ET TROPIS PETRI

Mosellani tabulæ, iam recens locupletatæ, uarijsq; nouis exemplis illustratæ, per Reinhardum Lorichium Hadamarium.

Σχήματα, conformationes sunt quædam, sententiæ remotæ à communi: Quæ dicuntur orationis quasi formæ, & lumina, ut ait Cicero.

Quorum partes sunt tres, { Figuræ / Vitium / Virtus.

DE FIGVRIS.

FIGVRA est arte aliqua nouata dicendi ratio, uel forma, ut ait Quintilianus in nono.

Cuius generis sunt figuræ: { Dictionis / Locutionis / Constructionis / Sententiarum.

DE FIGVRIS DICTIONIS.

FIGVRA dictionis transformatio quædam est unius dictionis: Quæ Βαρβαρισμός in prosa dicitur, in carmine μεταπλασμός.

Cuius partes à Grammaticis recensentur.

Πρόσθεσις
Επένθεσις
Προπαράληψις
Αφαίρεσις
Συγκοπὴ
Αποκοπὴ
Εκτασις
Συστολὴ
Διαίρεσις
Επισυναλοιφὴ
Συναλοιφὴ
Εκθλιψις
Αντίθεσις
Μετάθεσις.

Πρόσθεσις, *est* Appositio, *ad principium scilicet dictionis, uel literæ, uel syllabæ.* LITERÆ, *ut Virgilius in primo, Oscula libauit gnatæ, dehinc talia fatur.* Terentius in Andria, Meum Gnatum *rumor est amare.* Plautus in Asinaria, Aduorsum *tortores acerrimos, gnarosq; nostri tergi. Cicero pro lege Manilia,* Homines *gnaui & industrij in Asia negociantur.*

SYLLABÆ, *ut* Terentius in Andria,
Pol! si id scissem, nunquam huc tetulissem pedem.

Virgil.

Virgilius in duodecimo.

Adiuro stygij caput implacabile fontis.

Επένθεσις uel ἐπέκτασις *est interpositio, cum inter primam aut ultimam syllabam, aut litera adijcitur aut syllaba.* LITERA, *ut riuos deducere nulla Relligio uetuit.* Virg. 1. Georg. Idem 1. Æneidos. *Iactatos æquore toto Troas Relliquias Danaum.* Ouidius in Epist. *Rettulit & ferro Rhesum, Dolonaq; cæsos.* Sic: *Reddux it, reppulit, repperit.* SYLLABA, *ut,* Iuuenalis satyr. 10. *Romanus, Graiusq;, & barbarus indúperator.* Virgilius in 8.

Fecerat & uiridi fœtam Mauórtis in antro.

Ibidem. *Alitûum pecudumq; genus sopor altus habebat.* Horat. in poëtica. *Dicere cinctûtis non exaudita Cethegis.* Lucretius lib. 2.

Indupedita suis perplexis ipsa figuris. Idem 4.

Indúgredi motus hominum, gestumq; sequentem.

Propertius lib. 2. ad Mecœnatem.

Nauita de uentis, de tauris narrat arator.

Προπαράληψις, *quæ præassumptio dici poterit, Est appositio quædam ad dictionis finem. Eadem* παραγωγὴ, *hoc est adductio, licet Diomedes separet.* Persius satyr. 1.

At pulchrum est digito monstrari & diciẽr, hic est.

Virg. 11. *Et Venulus dicto parens ita farier infit.*

Idem

Idem, Quod fieri ferro, liquidoue poteſtur electro.
Idem, Magicas ne uidear accingier artes.
Lucretius lib. 3. Quod tamen expleri nulla ratione poteſtur. Sic poteratur pro poterat.

Ἀφαίρεσις, contraria προσθέσει, Eſt à principio dictionis ablatio literæ, uel ſyllabæ.

LITERÆ, Virg. in 12. dabit ille ruinas.
Arboribus, ſtragemq́; ruet omnia latè.
Plaut. Neq; ullum unum uerbum mittit, pro emittit.

SYLLABÆ, Virgil. in 6. Diſcite iuſticiam moniti & non temnere diuos. Idem in 12.
Ora citatorum dextra contorſit equorum.
Ibidem, Craterasq́; focosq́; ferunt, fugit ipſe Latinus.
Horatius primo Epiſtolarum. Et cætera ludicra pono pro depono.

Συγκοπὴ, contraria ἐπενθέσει, Quoties è dictionis medio aliquid excinditur. Virg. in 1.
Manet alta mente repoſtum Iudicium Paridis.
Ibidem, Penitusq́; ſonanteis Acceſtis ſcopulos.
Idem in 3. Rurſus ad Oraclum Ortygiæ Phœbumq́; remenſo Hortatur pater ire mari.
Idem in 8. Cingite fronde comas, & pocula porgite dextris.
Idem in quarto.
Extinxti te, meq; ſoror, populumq́; patresq́;.
Horat. 1. ſermo. 9. Hunccine ſolem tam nigrum ſurrexe mihi.

Ἀπο-

Ἀποκοπὴ, contraria παραγώγῃ, Est à dictionis fine, uel literæ uel syllabæ abscisio. Virg. in 3.
Serua reliquias Danaum, atq; immitis Achilli.
Idem, Nec spes libertatis erat, nec cura peculi.
Idem in 8. Propiusq; periclo It timor.
Idem, Aspice num magè sit nostrũ penetrabile telum.
Horat. 1. ser. Nempe incomposito dixi pede currere uersus Lucili. Homerus primo Iliados.
εἶμι δ' ἰὸς ποτὶ χαλκοβατὲς δῶ, pro δῶμα.

Ἔκτασις, Est extensio syllabæ natura contractæ.
Virg. 1. Per iuga Cynthi Exercet Diana choros.
Ibidem in 9. Coniecto sternit iaculo, uolat Itala cornus.
Idem in tertio.
Gradiuumq; patrem Geticis qui præsidet aruis.
Ouid. Meta. 9. Cognata Cyane præstanti corpore Nympha.

Συστολὴ, Contractio natura protensæ. Hac usus figura Prudentius εἴδωλον media breui dixit non inscitia Græcarum literarum, ut clamant literatores. Virg. in 4. Dum pelago desæuit hyems, & aquosus Orion. Idem in sexto.
Hi tibi Nomentum, & Gabios, urbemq; Fidenam.
Lucanus lib, 5.
Constiterunt imbres, & flumina uim minuerunt.

Διαίρεσις, Diuisio est unius syllabæ in duas.
Virg. in 3. Aulai in medio libabant pocula Bachi.

Idem

Idem 6. Aethereũ sensum, atq; aurâi simplicis ignis.
Idem 7. Exultantq́; æstu latices furit intus aquâi.
Idem in 9. Diues equum diues pictâi uestis & auri.
Ouid. ad Liuiam. Vita data est, utenda data est sine fœnore nobis Mutua, nec certa persoluenda die.
Martial. 11. Attonitusq́; legis terrâi frugiferâi.

Lucanus secundo Pharsaliæ.

Fundit ab extremo flauos Aquilone Sueuos.

In hac figura Lucretius ferme semper Genitiuos extulit, in libris de rerum natura.

Επισυναλοιφὴ, *eadem* συνάιρεσις, *contraria* διάιρεσι, *est conglutinatio duarum syllabarum in unam. Virgilius in 2. Ecce autem Panthus medijs elapsus Achiuûm, Panthus Otriades. Idem in 6. Fixerit aêripedem ceruã licet, aut Erymanthi Placarit nemora. Idem in 7. Centum ærei claudunt uectes, æternaq́; ferri Robora. Aldus Manutius. Estq́; Synæreseos deiectum fulmine Phaeton.*

Συναλοιφὴ, *collisio est, quæ fit cum duarum inter se uocalium concurrentium, altera eliditur. Virg. Ille ego qui quondam gracili modulatus auena. Ibidem. Carthago Italiam contra.*

Εκθλιψις, *est elisio quædam uocalium cum consonantibus aspere concurrentium. Virgilius. Multum ille & terris iactatus & alto. Idem. Videre iacentẽ inflatũ hesterno uenas (ut sp) Iaccho.*

Hora-

Horatius. Omnibus hoc uitium est cantoribus, inter amicos Vt nunq̃ inducant animum cantare rogati, Iniußi nunquam desistant.

Notabis literam s, aliquando elidi. Vir. 2. Geor. Aut ouium fœtus aut urentes culta capellas.

Ἀντίθεσις siue ἀντίστοιχον cum litera ponitur pro litera, Virg. 1. Olli subridens hominum sator, atq; Deorum. Idem 12. Olli sedato respondit corde Latinus. Idem: Impete nunc uasto ceu concitus imbribus annis. Idem, Venit & Vpilio &c.

Μετάθεσις est transpositio quædam literarum. Virg. 10. Nam tibi Timbre caput Euandrius abstulit ensis. Priscianus tamen lib. 7. ait eum uocatiuum à nomine Timbrus descendere. In hoc Μεταπλασμῷ mirum quàm sint audaces Poëtæ græci.

DE HISCE FIGVRIS SEQVENTES uersiculi sunt Antonij Mancinelli, atq; Aldi Manutij. (fert.

Πρόσθεσις apponit caput id, quod Ἀφαίρεσις au-
Syncopa de medio tollit, quòd Ἐπένθεσις auget.
Ἀποκοπὴ tollit finem, quem dat Παραγωγὴ.
Corripit ut steterunt ducendam Systola uocem.
Ἔκτασις Italiam producit corripiendam.
Syllaba de binis facta extat Ἐπισυναλοιφὴ.
Dicitur in binas partire Συναίρεσις unam.

M, necat ἔκθλιψις, uocalem aufert συναλοιφή.
Ἀντίθεσιν noris, aut ἀντίστοιχον haberi,
Occupet alterius sociam si litera sedem.
Ordo Μετάθεσις est mutatus literularum.

Verum hoc loco memineris Lector, non ubiq; Metaplasmo locum esse, imò non idem in iocuları & paruo opere licebit, quod priscis illis in iusta, & sublimis argumenti poësi condonatum est. Quare Horatianum illud semper in animo & pectore habeas: Tantum opere in magno fas est obrepere somnum. Neq; statim imitandum proponas, quicquid usquam concessum inueneris.

DE FIGVRIS LOCVTIONIS.

FIGVRA locutionis est ratio quædam locutionis compositione nouata. Species sunt:

Ὑπόζευξις	Παρήχησις
Ἐπάνοδος	σχέσις τῶν ὀνομάτων
Ἐπιφορὰ	Παροίμιον
Ἀναδίπλωσις	Ὁμοιοτέλευτον
Ἀναφορὰ	Ὁμοιόπτωτον
Κοινώτης	Πολύπτωτον
Ἐπανάληψις	Εἱρμὸς
Ἐπίζευξις	Ἐνδιάδις
Παρονομασία	Ὑπαλλαγὴ

Προσωποποιΐα
Ανθυποφορὰ
Αποσιώπησις
Κλίμαξ
Πολυσύνδετον
Ασύνδετον
Αντιμεταβολὴ
Λ[illegible]τὴ
Αντάκλασις
Αντίθετον
Αποστροφὴ
Επιφώνησις
Αρεὰ
Δέησις
Ευχὴ
Επίπληξις
Ερώτημα
Επιφώνημα
Επιτροχασμὸς
Παραίνεσις
Προσαπόδωσις
Ανακοίνωσις
Αποδίωξις
Ορισμὸς, uel ὅρος
Μετάβασις, uel Μετάστασις
Αντίστασις, Ανταναάκλασις
Επανόρθωσις, uel Μετάνοια
Παράλειψις
Προκατάληψις
Ερμηνεία
Συνονυμία
Επιστροπὴ
Διαπόρησις, uel Απορία
Απόφασις
Επίλογος.

Υπόζευξις *est, cum diuersæ clausulæ singulis uerbis redduntur.*

Fertur ὑπόζευξις *uerbo res singula iuncta,*
Incedit Mopsus, Corydon sedet, Acca quiescit.

Virgilius in decimo.

Regem adit, & regi memorat nomenq́; decusq́;,
Quidúe petat, quidúe ipsa ferat, Mezentius arma
Quæ sibi conciliet, uiolentaq́; pectora Turni.

 Edocet

Edocet, humanis quæ sit fiducia rebus
Admonet, immiscetq; preces, haud sit mora Tar-
Iungit opes, fœdusq; ferit. (chon.

Idem in tertio de Aetna.

Attollitq; globos flammarum, & sydera lambit,
Cum gemitu glomerat, fundoq; exæstuat ignis.

Idem Georgicorum secundo.

Venit hyems, teritur Sicyonia bacca tapetis,
Glande sues redeunt læti, dant arbuta syluæ,
Et uarios ponit fœtus autumnus. Idem in 5.
Consonat omne nemus, uocemq; inclusa uolutant
Littora, pulsati colles clamore resultant.

Ἐπάνοδος, *reditus uel regreßio, diuersum quidam in partibus per* πρόληψιν *significat, ut, Vicerunt Romani, mari Carthaginenses, terra Gallos. D. Paulus 2. Cor. 2. Christi bonus odor sumus Deo, alijs quidem odor mortis in mortem, alijs odor uitæ in uitam. Alij* πλοκὴν *appellant, quam Cicero uidetur Traductionem uocare. Hæc facit, ut cum idem uerbum crebrius ponatur, non modò non offendat animum, sed etiam concinniorem orationem reddit. Vt, Qui nihil habet iucundius in uita, is cum uirtute uitam non potest colere.* ITEM. *Diuitias sine diuitibus esse. Tu uero uirtutem præfer diuitijs. Nam si uoles diuitias cum uirtutibus comparare, uix satis idoneæ tibi uidebuntur, quæ uirtutis pedissequæ sint.*

Επιφο-

Ἐπιφορὰ, finem sæpius terminat. Vt, Ad bellum suscipiendum nos impulit Philippus, In ipso belli periculo nos deseruit Philippus.

ITEM, Ne uersus scribas uitiosos, discito græcè.
Argumentari quisquis uis, discito græcè.
Quisquis Rhethoricen uis discere, discito græcè.

Contraria hæc est figura Anaphoræ.

Ἀναδίπλωσις, Reduplicatio, cum ultima prioris uersus dictio in sequentis principio iteratur. Virgilius in decimo. Sequitur pulcherrimus Astur;
Astur equo fidens, & uersicoloribus armis.

Iulius Ruffinianus παλιλογίαν appellat, cum uerbum quod est in prima sententia ultimum, in sequente fit primum. Virg. in Eglogis.
Addit se sociam timidisq; superuenit Aegle,
Aegle Naiadum pulcherrima. Idem in sexto.
Deiphobum uidi lacerum crudeliter ora,
Ora manusq; ambas.
Ouidius lib. 2. Meta. Syluæ cum montibus ardent,
Ardet Athos, Taurusq;, Cilix, & Tmolus, & Oete.

Ἀναφορὰ, Relatio eiusdem uidelicet uerbi per principalia plurimorum uersuum, Cicero repetitionem appellat. Virgilius in primo.
Nate meæ uires, mea magna potentia solus,
Nate patris summi, qui tela Typhoëa temnis.
Idem in 4.

Num fletu ingemuit nostro, num lumina flexit,
Nam lachrymas uictus dedit, aut miseratus amantem est?
Martialis lib. primo.
Iuro per Syrios tibi tumores,
Iuro per Berecynthios furores.
Ibidem ad Charinum.
Solus qui ueteres Myronis artes,
Solus Praxitelis manus, Scopæq;
Solus Phidiaci toreuma cœli,
Solus Mentoreos habes labores.
A Iuliano Rufiniano ἐπαναφορὰ dicitur.
Virgilius in Eglogis.
Hic gelidi fontes, hic mollia prata Lycori,
Hic nemus, hic ipso tecum consumerer æuo.
Ouidius 13. Metamorph.
Per spes nunc socias, casuraq; mœnia Troiæ,
Perq; Deos oro, quos hosti nuper ademi,
Per si quid superest, quod sit sapienter agendum.
Idem in secundo.
Parce precor mater, quæcunq; est saucia clamat,
Parce precor, nostrum laceratur in arbore uulnus.

Κοινότης finem & principium repetit in diuersis sententijs. Gorgias. Quæritis nouam administrandæ Reip. formã, at reperire meliorem, quam accepistis non potestis. Quæritis maximis sumptibus faciendis, quomodo ne tributa conferatis, at consilijs

filijs captas ærarij opes, quas cupitis augére non poteſtis. Quæritis ut ſceleratis parcatis, at ignoſcendo nocentibus, innocentum ſalutem cuſtodire non poteſtis.

Επανάληψις eſt autore Donato (Nam Diomedes reclamat) cum eadem dictio uerſum & incipit & claudit. Virgilius in prima.

Multa ſuper Priamo rogitans ſuper Hectore multa

Idem, Georgicorum ſecundo.

Ante etiam ſceptrum Dictæi Regis, & ante
Impia quàm cæſis gens eſt epulata iuuencis.

Idem in decimo.

Vltro animos tollit, dictis atq; increpat ultro.

Ouidius ſeptimo Metamorph.

Currus deeſt, aderat demiſſus ab æthere currus.

Iuuenalis Saty. 14.

Creſcit amor nummi, quantũ ipſa pecunia creſcit.

DICVNTVR etiam uerſus Epanaleptici, quando eadem dictio in fine diſtichi repetitur, quæ fuit in principio. Sedulius.

Sola fuit mulier patuit qua ianua leto.
Ex qua uita redit ſola fuit mulier.

SVNT qui ἐπανάληψιν appellent συμπλοκὴν, quam Cicero complexionem. Vt, Qui ſunt qui fœdera ruperunt? Carthaginenſes. Qui ſunt qui crudele bellum in Italia geſſerunt? Carthaginen-

ginenses. Qui sunt qui Italiam deformarunt? Carthaginenses. Qui sunt qui sibi postulant ignosci? Carthaginenses. Quod Ciceronis exemplum Quintilianus lib. 9. cap. 3. citat, & redigit in ἐπανόδου species.

Ἐπίζευξις est subiunctio eiusdem scilicet uerbi sine aliqua interstitione, maioris uehementiæ gratia. Vel secundum Diomedem, est eiusdem dictionis in eodem uersu sine aliqua dilatione geminatio, cum impetu pronunciationis. Virg. in nono.

Me me, adsum qui feci, in me conuertite ferrum
O Rutuli. Idem in 4.
Sed moriamur ait, sic sic iuuat ire sub umbras.
Silius Italicus lib. 13.
Exclamat, uenient uenient mea tempora quondam.
Ouidius 11. Metamorph.
Vidêre hanc pariter, pariter traxêre furorem.

Terentius, O Thais Thais utinam esset mihi pars æqua amoris tecum. Idem, Non ueniam tertio heus heus. Idem, Mane mane, nondum audisti.

Horatius in Epist. O ciues ciues quærenda pecunia primum, Virtus post nummos. Virg.
O Corydon Corydon quæ te dementia cepit.

Παρονομασία, Agnominatio, cum iucunda quædam fit collusio uocũ. Terent. in Andria. Nam inceptio est amentium, haud amantium. Cice. in Verrem

rem. Sicilia te non prætorem, ſed prædonem habuit. Diogenes auaro cuidam dixit. O homo ad cibum te poſtulo, non ad cippum.

Prouerbium, Septem conuiuium, nouem conuitium.

ITEM, Non Chius ſed Cius, Non Bromium te dixero, ſed Bromum.

Quidam Tullium non Tullium, ſed Tollium, à rebus tollendis appellabant. Et Tiberium non Tiberium, ſed Biberium. Non in aula natus es, ſed in caula. Diuus Paulus ad Timotheum, Φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι.

Παρήχησις, cum è prioris dictionis reſonantia, confeſtim ad aliud uerbum deducitur. Vide Cœli. lib 9. cap. 48. Parum à Paronomaſia differt.

FIT aũt, cum nomẽ ex alio in ſignificatu diſtante, aptè conficitur. Vel ſecundum Diomedẽ, cum nomini præcedenti nomen aut uerbũ ex eodem figuratũ annectitur. Vt, fugam fugis, actum agis, Factum facis, Gratia grata, Creta decreta, pugna pugnata eſt. Σαμία μία ναῦς Rufinus παρηγμένον appellat.

Σχέσις τῶν ὀνομάτων, Eſt nominum habitus quidam, quoties uerborum multitudo eodem copulandi habitu coaceruatur. Virgilius.

Marſa manus, Peligna cohors, feſtina uirum uis.

Fit, ſecundum Diomedem, cum ſingulis nominibus epitheta coniuncta ſunt. Virg. xi.

Spicula torquebat Lycio cortynia cornu,
Aureus ex humeris ſonat arcus, & aurea uati
Caßida, tum croceā chlamydemq; ſinusq; crepantes
Carbaſeos, fuluo in nodum collegerat auro.

ITEM, cum in contextu plures αὐτονομασίαι ponuntur, ut, Armipotens Tritonia Iuno.

ITEM, cum multitudo nominum ſimul ponitur. Lactantius.

Tæda, ſalix, abies, corylus, ſiler, ulmus, acer, nux.

Παρόμοιον, Aßimile, quoties multa uerba ab eodem incipientia elemento ex ordine collocantur. Ennius, O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tuliſti. Plautus in Caßina. Mala malæ mala monſtrat. Item, Machina multa minax minatur maxima muris. Item, Carmina clariſonæ caluis cantate camœnæ. Item, Præmia probroſis pueris peiora parantur &c.

Ὁμοιοτέλευτον, cum ſimiliter uel dictiones, uel ſententiæ finiuntur. Ennius, ut citat Diomedes Eos deduci, euehi, quàm deſeri malui. Saluſt. in Iugurtha. Sed plebs incredibile eſt memoratu quantum intenta fuerit, quantáq; ui regionem uſſerit, decreuerit, uoluerit.

Hæc figura dicitur à Cicerone ſimiliter deſinens. Viuis inuidioſe, delinquis ſtudioſe, loqueris odioſe. Audacter territas, humiliter placas.

Hæc

Hac figura apud Græcos insignis fuit Isocrates, sed Gellius lib. 18. cap. 8. non admodum probat eos qui se nimium Isocraticos uideri uolunt.

Ὁμοιόπτωτον, cum eodem casuum tenore clausula terminatur. Ennius, Mœrentes, flentes, lachrymantes, & miserantes. Cicero de Oratore. Oratori est subiecta materia, omnia quæsita, audita, lecta, disputata, cognita esse debent. Cicero similiter cadens appellat, & exempla tradit, Hominem laudas egentem uirtutis, abundantem fœlicitatis. ITEM, Cuius omnis in pecunia spes est, eius à sapientia est animus remotus. Diligentia comparat diuitias, negligentia corrumpit animum, & tamen cum ita uiuit, neminem præ se ducit hominem.

Virgilius in quinto Æneid.

Illum labentem Teucri uidere natantem,
Et salsos rident reuomentem pectore fluctus.

Quum. M. Lepidus in senatu dixisset, Patribus conscriptis, ne dicam, circumscriptis. Ego, inquit, Cicero nan tanti fecissem ὁμιόπτωτον.

Πολύπτωτον, Quod autore Tortellio multiplicem habet casum, est enim multitudo casuum uarietate distincta. Virg. in quarto.

Littora littoribus contraria, fluctibus undas
Imprecor, arma armis pugnent, ipsiq; nepotes.

Persi. sat. 3. De nihilo nihil in nihilum nil posse re-

uerti. Terent. In te omnis spes sita est, te solum habemus, tu patronus, tu pater. Ille tibi moriens nos commendauit senex, si deseris tu nos, perimus. Lucan.lib.1.Infestis obuia signis Signa pares aquilas, & pila minantia pilis. Ibidem.

Omnia mixtis Sydera syderibus concurrent, ignea pontum Astra petent, tellus extendere littora nolet.

Virgilius in nono.

Emathiona Liger, Chorineum sternit Asylas,
Orthygium Cœneus, uictorem Cœnea Turnus.

Ouidius Metam. 11. Contigit & glebam, contactu gleba potenti Massa fit, admouit digitos si postibus altis, Postes radiare uidentur.

Idem primo Tristium.

Mulciber in Troiam, pro Troia stabat Apollo.

Εἰρμὸς est orationis series eodem filo ad clausulam usq; protensa. Vel secundum Diomedem est cum uniformis continuatur orationis series, unius casus tenorem ad clausulam usq; custodiens.

Virgilius in sexto.

Principio cœlum & terras, camposq; liquentes,
Lucentemq; globum lunæ, Titaniaq; astra
Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Ibidem.

Quis

Quis te magne Cato, tacitum aut te Cosse relinquet,
Quis Gracchi genus, aut geminos duo fulmina belli
Scipiadas, cladem Lybiæ, paruoq; potentem
Fabricium, uel te sulco Serrane serentem?
Est authore Seruio longißimum ὑπέρβατον.

Ἐνδιαδις, *cum fixum in mobile soluitur. Iuuenal. saty. 1. Per famam & populos nigros efferre maritos. Virg. in 1. Arma uirumq; cano. Ibidem Hoc metuens, molemq; & montes insuper altos Imposuit. Idem 2. Georg. Hic laticis, qualem pateris libamus. Idem Georg. 3. Saxa per & scopulos. Idem in quinto. Hic membris & mole ualens, sed tarda trementi Genua labant. Ibidem. Quid si quis cestus ipsius, & Herculis arma Vidisset. Idem in tertio. Ipsum uocamus In prædam partemq; Iouem. Ibidem, Loricam consertam hamis, auroq; trilicem. Horatius primo Epistol. Quis circum pagos & circum compita pugnax. Ouidius Epist. 4.*
Pasiphaë mater decepto subdita tauro,
Enixa est utero crimen onusq; suo. Virg.
Nunc etiam pecudes umbras & frigora captant.

Ὑπαλλαγή *est, quoties oratio conuerso rerū ordine effertur. Virg. 3. Linquere pollutum hospitium & dare claßibus æquor. Idem 5. Post acer Mnestheus adducto constitit arcu, Alta petens pariter oculosq; telumq; tetendit.*

In sex-

In 6. Horrendas canit ambages, antroq́; remugit
Obſcuris uera inuoluens.
In 7. At dum prima lues udo ſublapſa ueneno
Pertentat ſenſus. Hypallagen aiunt eſſe in ſenſu. Veneno udo, quod eſt udo corpore. Nam ſerpentum uda ſunt corpora, atq; adeo ut uiam humectent.

Idem in octauo.

Accipite Æneam, & tandem arcete periclis.
Ibidem, Inter opacum adlabi nemus, & tacitis incumbere remis, hoc eſt, ipſi taciti, ſine celeuſmate.
Ibidem. Solio ſe tollit ab alto.
Et primum Herculeis ſopitas ignibus aras
Suſcitat. Idem in duodecimo.
Cui plurimus ignem
Subiecit rubor, & calefacta per ora cucurrit.
Hoc eſt, cui ignis animi ſubiecit ruborem.
Ibidem. Nec me uis ulla uolentem
Auertet, non ſi tellurem effundat in undas.

Virg. 5. Georgicorum.

Placatam Euridicen uitula uenerabere cæſa.
Ouidius 1. Meta. Perdidit effuſo per uulnera nigra ueneno. Pro, Effuſo nigro ueneno.

Πϱοσωποποιΐα, Eſt perſonarum fictio, cum rebus mutis ſermo attribuitur.
Ouidius. Meta. 2. Terram introducit loquentem

Hoſne

Hosne mihi fructus, hunc fertilitatis honorem,
Officijq; refers, quòd adunci uulnera aratri,
Rastrorumq; fero, totoq; exerceor anno,
Quòd pecori frondes, alimentaq; mitia, fruges,
Humano generi, uobis quoq; thura ministro?

Et Cicero prima oratione contra Catilinam patriam introducit uerba facientem.

Nullum iam tot annos facinus extitit, nisi per te, nullum flagitium sine te. Tibi uni multorum ciuium neces, tibi uexatio, direptioq; sociorum impunita fuit ac libera, Tu non solum ad negligendas leges & quæstiones, uerumetiam ad deuincendas, perfringendasq; ualuisti. Superiora illa, quanquam ferenda non fuerunt, tamen ut potui tuli. Nunc uerò me totum esse in metu propter te unum, quicquid increpuerit, Catilinam timeri. Nullum uideri contra me consilium iniri posse, quod à tuo scelere abhorreat, non est ferendum. Quamobrem discede, atq; hunc mihi timorem eripe, si uerus, ne opprimar, si autem falsus, ut tandem aliquando timere desinam.

CICERO *figuram hanc conformationem uocat, cum aliqua quæ non adest persona confingitur, quasi adsit, aut cum res muta, aut informis fit eloquens, & formata, & ei oratio attribuitur ad dignitatem accommodata. Vt, Quod si nunc Lucius ille Brutus reuiuiscat, & hic ante pedes uestros adsit*

adſit, non hac utetur oratione? Ego reges eieci, uos Tyrannos introducitis. Ego libertatem, quæ non erat, peperi, uos patriam ſeruare non uultis. Ego capitis mei periculo patriam liberaui, uos liberi ſine periculo eſſe non curatis.

Aphtonius duas facit ſpecies, εἰδωλοποιΐαν, & εἰδοποιΐαν, quam & ἠθολογίαν uocant. Hæc notam habens perſonam mores tantum effingit. Eſt enim morum expreßio, affectuumq; imitatio loquentis, ut, Qualia uerba Hercules facere poßit Eurystheo ſic imperante. Eadem ferè eſt μίμησις, quam Cicero Notationem appellat. Ea eſt, cum alicuius natura certis deſcribitur ſignis, quæ ſicuti notæ quædam naturæ ſunt attributa. Εἰδωλοποιΐα autem eſt, quando ab inferis quiſpiam reuocatus loquitur.

Virg. 3. Æneid.

Quid miſerum Ænea laceras? iam parce ſepulto,
Parce pias ſcelerare manus.

Ἀνθυποφορά, cum tacitè occurrimus quæſtioni. Quam figuram & poëtæ & oratores in uſu habent. Ouid. Nil mihi reſcribas attamen ipſe ueni. Troia iacet certè Danais inuiſa puellis. Potuiſſet enim Vlyſſes reſcribendo prætendere ſuæ emanſioni diuturnæ, Troiam nondum captam. Cui occurrit Penelope, dicens Troiam iam eſſe dirutam, & cauſſam, quapropter abierit, remotam. Plin. Epiſt.

ſecun-

secunda ad Caluinam, Liberalitas nostra ita temperanda est, ne nimia profusione inarescat. Sed temperanda in alijs, in te facilè ratio constabit, etiamsi modum excesserit.

Ἀποσιώπησις, quam Cicero reticentiam, Celsus obticentiam, nonnulli interruptionem appellant, ut ait Quintilianus. Est cum per iram, uel indignationem, orationis partem reticemus. Virg. in primo Æneid.

Quos ego, sed motos præstat componere fluctus.
Terentius, Quem ego si sensero. Sed quid opus est uerbis. Idem, Quis tu es? quis mihi es? cur meam tibi? Idem in Adelphis.
Iam si uerbum unum posthac.

Κλίμαξ est autore Cicerone, gradatio. Quoties ab eo uerbo, quo sensus superior claudebatur, inferior incipit, ac deinceps hoc modo quasi per gradus ascendit. Seneca, Ioue prognatus est, ut perhibent, Tantalus, Ex Tantalo Pelops, Ex Pelope satus Atreus, qui nostrum propagat genus.

Virgilius.

Torua Leæna lupum sequitur, lupus ipse capellam
Florentem cythisum sequitur lasciua capella.

Cicero, Africano industria uirtutem, uirtus gloriam, gloria æmulos comparauit. ITEM.

Imperium

Imperium Græciæ fuit apud Athenienses, Athenienses potiti sunt Spartiatæ Spartiatas superauêre Thebani, Thebanos Macedones uicerunt. Qui ad imperium Græciæ breui tempore adiunxerunt Asiam, bello subactam. Idem pro Milone, Neque uero se populo solum, sed etiam senatui commisit. nec senatui modo, sed etiam publicis præsidijs, & armis, neq; his tantum, sed etiam eius potestati, cui senatus totam Rempublicam commisit.

Πολυσύνδετον est structura multis nexa coniunctionibus. Virg. 1. Georg.

Arboribusq́;, satisq; nothus, pecoriq; sinister.

Idem Georg. 3. Tectumq; laremq;
Armaq;, Amyclæumq; canem, Cressamq; pharetram. Idem 4. Georg.

Drymoq;, Xantoq;, Lygæaq;, Phyllodoceq;.

Idem lib. secundo Æneid.

Demissum lapsi per funem Athamasq; Thoasq;,
Pelidesq; Neoptolemus, primusq; Machaon.

Idem in octauo.

Grandæuumq; patrem, fratresq;, piasq; sorores.

Ἀσύνδετον, superiori contraria, cum structura uinculis caret. Cicero in Catilinam inuectiua secunda. Abijt, excessit, euasit, erupit. Virg. 4 Æneid.

Ferte citi flammas, date uela, impellite remos.

Idem in 9. Ferte citi ferrũ, date tela, scandite muros.

Silius lib. 7. Ite citi, ruite ad portas, propellite uallum. Cicero dissolutionem appellat. Gere morem parenti, pare cognatis, obsequere amicis, obtempera legibus. Hanc figuram Donatus Διάλυτον uocat. Rutilius Lupus διάλυσιν.

Ἀντιμεταβολὴ uel Ἀνάκλασις, à Cicerone uocatur Commutatio, Est cum duæ sententiæ inter se discrepantes, ex transitione ita efferuntur, ut à priore posterior contraria priori proficiscatur, hoc modo, Esse oportet ut uiuas, non uiuere, ut edas. Vnde Cato, Non uiuo ut edam, sed edo, ut uiuam. ITEM. Ea re poëmata non facio, quia eiusmodi uolo non possum, cuiusmodi possum, nolo.
ITEM, Si poëma loquens pictura est, pictura tacitum poëma debet esse. Chabrias olim dixit, Multo formidabiliorem esse exercitum ceruorum, leone duce, quàm leonum, duce ceruo. Cicero de legibus libro tertio, Verè dici potest, Magistratum legem esse loquentem, Legem autem mutum Magistratum. Sulpitius Victor Μετάθεσιν Inuersionem uocat.

Λειπτότη, cum minus dicitur, & plus intelligitur. Mancinellus.
Si dicas, minus, & plus signes, Liptote habetur.

Virg. in Eglogis. Quid prodest quòd me ipse animo non spernis Amynta? i. liberalißimè amas.
Idem in 1. Georg. Nulla nec interea est inaratæ gratia terræ. i. multa gratia. Idem in 3.
Nec mihi displiceat maculis insignis & albo, id est, ualde placeat. Idem in septimo.
Munera nec sperno, id est, libenter accipio.

Ἀντάκλασις, Refractio. Vel Ἀντίσασις, uel ut lib. 9. Quintilianus ait, Ἀντανάκλασις, Eiusdem uerbi contraria significatio. Aut oratio, qua uerum idem rapitur in contrarium sensum. Vt Euclio Plautinus, Araneas, inquit, mihi ego illas seruari uolo. Locuta erat anus de inani prorsus, præter araneas, domo. At senex araneas intelligit thesaurum, qui anum latebat. Isaiæ 38. Scio (inquit Rex Ezechias) omnem uitam unam esse amaritudinem, tu autem non ingratam rem mihi feceris, si amarissimam donaueris amaritudinem. Id est, uitam, ut iam ponat amaritudinem pro uita.

Ἀντίθετον, cum ex contrarijs uerbis oratio conficitur. Cicero contentionem appellat. Eadem ferè quæ ἀντίθεσις, quam Cicero contrarium uocat. Huius exempla sunt, Qui in sermonibus, & conuentu amicorum uerũ dixerit nunquam, eum sibi in concionibus credis à mendacio temperaturum.

ITEM,

ITEM, *Nam qui suis rationibus inimicus fuerit semper, eum quomodo alienis rebus amicum fore speres? Superioris illius exempla. Habet assentatio iucunda principia, eadem exitus amarißimos affert.* ITEM, *Inimicis te placabilem, amicis inexorabilem præbes.* ITEM, *In otio tumultuaris, in tumultu solus es ociosus.* Ad Romanos 8. *Qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt curant. Qui secundum spiritum, quæ spiritus. Item, Adfectus carnis, mors est, Adfectus spiritus, uita, pax.*

Ἀποστροφὴ, Auersio, *Cum ad aliquem conuertimus sermonem, præter reliquam narrationis compositionem.* Virgilius.
Scipiadas duros bello, & te maxime Cæsar.

Ἐπιφώνησις, Exclamatio *familiarißima est cum poëtis tum oratoribus. Quale illud est* Ciceronis pro Deiotaro. O tempora, ô mores. *Item, illud* Pauli: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Vtramq; harum Cicero uidetur appellasse communi nomine* Exclamationis, *quæ conficiat significationem doloris, aut indignationis alicuius per hominis, aut urbis, aut rei cuiuspiam compellationem, hoc modo.*

Te nunc alloquor Affricane, cuius mortui quoq;

nomen, ſplendori ac decori eſt ciuitati. Tui clariſsimi nepotes ſuo ſanguine abluerunt inimicorum crudelitatem. ITEM, O perfidioſæ Fregellæ, quàm facilè ſcelere ueſtro contabuiſtis, ut cuius nitor urbis Italiam nuper illuſtrauit, eius nunc uix fundamentorum reliquiæ maneant.

Ἀρεὰ, Execratio. Cicero, O ſcelus, ô portentum in ultimas terras exportandum.

Δέησις, Precatio, qua cum Deos, tum homines obteſtamur. Cicero, Pro P. Seſtio. Vos obteſtor atq; obſecro, ut ſicut me ſaluum eſſe uoluiſtis, eos conſeruetis, per quos me recuperaſtis.

Εὐχὴ, Votum. Ouid. in Epiſt.
O utinam tunc cum Lacedæmona claſſe petebat,
Obrutus inſanis eſſet adulter aquis.

Επίπληξις uel ἐπιτίμησις, increpatio uel obiurgatio. Cicero oratione prima in L. Catilinam. Patere conſilia tua non ſentis? Conſtrictam iam omnium horum conſcientia teneri coniurationem meam non uides? Quid proxima, quid ſuperiore nocte egeris, quem noſtrum ignorare arbitraris?

Ερώτημα

Ἐρώτημα Ratiocinatio est, per quam nos ipsi à nobis rationem poscimus, quare quicq; dicamus, & crebro nosmet à nobis petimus uniuscuiusq; propositionis explanationem, ea est huiusmodi. Maiores nostri si quam unius peccati mulierem damnabant, simplici iudicio multorum maleficiorum conuictam putabant. Quo pacto? Quoniam quam impudicam iudicarant, eam ueneficij quoq; damnatam existimabant. Quid ita? Quia necesse est eam, quæ suum corpus addixerit turpiß. cupiditati, timere permultos. Quos? Istos, uirum, parentes, cæteros ad quos uidet sui dedecoris infamiam pertinere. Quid postea? Quos tantopere timeat, eos necesse est, ut quoquo modo poßit ueneficio &c. Vide Ciceronis ad Herennium Rhetorica, unde hæc omnia desumpsimus.

Ἐπιφώνημα, Acclamatio, Est amplificatio propositi cuiusuis, apposita ad finem. Fitq; per particulas tantum, adeo, ut.

Virg. 1. Æneid.

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Ouidius 1. Meta. Tanta est discordia fratrum.

Terentius in Andria. Paululum interesse censes, ex animo omnia, ut fert natura facere, an de industria.

Ἐπιτροχασμὸς, cum multa terribilia interro-

gantur. Terent. Quis tu homo es? Quid tibi uis? Quid cum illa rei tibi est? Virg. in II.

Nec longe scilicet hostes
Quærendi uobis, circumstant undiq; muros,
Imus in aduersos, quid cessas? an tibi Mauors
Ventosa in lingua, pedibusq; fugacibus istis
Semper erit?

Παραίνεσις uel γνώμη, Sententia, Est oratio sumpta de uita, quæ aut quid sit, aut quid esse oporteat in uita, breuiter ostendit. Vt liber is est æstimandus qui nulli turpitudini seruit. Nihil tam populare quàm bonitas. Quint. lib. 8. cap. 5. Sententiarum diuisiones apud Ciceronem & Aphthonium habentur.

Προσαπόδωσις, Cum interrogamus aduersarios, aut quærimus ipsi, quod ab illis, aut quid contra nos dici poßit. Deinde respondemus ipsi nobis. Cicero subiectionem appellat, ut, Quæro igitur, unde iste tam pecuniosus factus sit? Amplum patrimonium relictum est? At patris bona uenierunt. Hæreditas aliqua obuenit? Non potest dici, sed etiam necessarijs omnibus exhæredatus est. Præmiam aliquod ex lite, aut iudicio cepit? Non modò id non fecit, sed etiam insuper ipse grandi sponsione

sione uinctus est. Sic diuus Paulus ad Romanos sibi respondit, Manebimus in peccato? dicens, absit. Et interrogandi seipsos, & respondendi sibi, solent esse non ingratæ uices, ut Cicero pro Ligario, Apud quem igitur hæc dico? nempe apud eum, qui cum hoc sciret, tamen me antequam uidit, Reipublicæ reddidit. Quintilianus libro nono capite secundo.

Ἀνακοίνωσις est Communicatio, cum aut ipsos aduersarios consulimus, aut cum Iudicibus deliberamus, ut, Cedo, si uos in eo loco fuissetis, quid fecissetis? Vos interrogo, quid suadetis?

Ἀποδίωξις, Reiectio, cum eludimus aliquid ab aduersario propositum, & significamus uel indignum esse, de quo dicamus, uel arguimus seruandam in aliud tempus, uel locum, ut de hac re dicemus alias, Nam modo quid attinet dicere, cum ad institutum parum faciat? Huiusmodi est illud pro Milone. Quid enim odisset Clodium Milo, segetem ac materiem gloriæ suæ? Principale argumentum Clodianorum eludit tantum Cicero, non refellit.

Ὁρισμὸς uel ὅρος, Definitio est, quæ rei alicuius proprias amplectitur potestates breuiter

& absolutè, hoc modo. Non est fortitudo, sed temeritas, propterea quod fortitudo est contemptio laboris, & periculi cum ratione utilitatis, & compensationis commodorum. Temeritas est, cum inconsiderata laborum perpeßione, gladiatoria periculorum susceptio. ITEM, Maiestas Reipublicæ est, in qua continetur dignitas, & amplitudo ciuitatis.

Μετάβασις uel Μετάστασις, Quæ cum ostendit breuiter, quod dictum sit, proponit item breuiter, quod consequatur. Cicero transitionem uocat, ut, In patriam cuiusmodi fuerit habetis, nunc in parentes qualis extiterit, considerate.

Ἐπανόρθωσις, uel Μετάνοια, quæ tollit id quod dictum est, & pro eo id, quod magis idoneum uidetur, reponit. Cicero uocat Correctionem, ut, Quod si is suos hospites rogasset, imo innuisset, modo hoc facilè perfici poßit. Item, O uirtutis comes inuidia, quæ bonos insequeris plerunq;, imò adeo insectaris. Cicero pro Milone, O Dij immortales fortem, & à uobis iudices conseruandum uirum. Minimè, minimè, inquit, imò uero pœnas ille debitas luerit, nos subeamus, si ita necesse est, non debitas.

Παράλειψις, omißio est, cum dicimus nos præterire, quod tum maximè dicimus, hoc modo.

Non

Non dico Catilina, quàm turpiter adolescentiam egeris, quàm omnibus probris contaminasti. Cicero Occupationem appellat. Vt, Non dico à socijs pecunias accepisse, non in eo occupatus, quod ciuitates, regna, domos omnium depeculatus es, furta, rapinas omnes tuas omitto.

Προκατάληψις, præsumptio, uel anticipatio, cum id quod obijci potest, cogitationi uel iudicis, uel aduersarij, priusquam obijciatur, occupamus. Cicero pro Milone, Cum uideret arma disposita esse in foro aduersum uim, callidè ac tacitè pro Milone detorquet, quod aduersari uidebatur. Sic pro Archia, Quæret quispiam, quid illi ipsi summi uiri, quorum uirtutes literis proditæ sunt, ista ne doctrina, quam tu laudibus effers, eruditi fuerunt.

Ερμηνεία, Interpretatio, cum eadem res alijs uerbis dicitur, ut, Remp. funditus euertisti, ciuitatem radicitus deiecisti. Item, Patrem nefariè uerberasti, parenti sceleratè manus intulisti.

Sunt qui Συνωνυμίαν interpretationem uocent cum Quintiliano uerborum congeriem, cum uerba eiusdem penè significationis eidem tribuuntur. Esa. 3. Quoniam cadet Hierusalem, & Iuda corruet. Per Hierusalem nihil aliud intelligit, quàm regnum Iuda.

Ἐπιτροπή, Permißio, Cum auditoribus, uel aduersarijs aliquid in caussa permittimus, ut, Vos me quo pacto uobis uidetur, utamini, atq; abutamini, licebit. Impunè in me quicquid libet ſtatuite, dicite, atq; obtemperabo. Alij Conceßionem uocant, cum aliqua iudicibus æſtimanda relinquimus. Vt, Vobis iudices cogitandum relinquo, quid hinc Reſpublica detrimenti acceperit. Eſt autem communicatio, de qua ſupra.

Διαπόρησις, uel Ἀπορία, Dubitatio eſt, cum quærimus, utrum de duobus potius, aut quid de pluribus potißimum dicamus, ut, Siue ſtultitiam meam, ſiue fortunam cauſſari licet. Item, Obfuit eo tempore plurimum Reipublicæ, conſulum, ſiue temeritatem, ſiue malitiam dicere oporteat, ſiue utrunq;.

Ἀπόφασις, Enunciatio, quæ unum aliquid è multis ſyllogiſmo oſtendit. Cicero expeditionem appellat. Vt.

Fundus iſte meus erat, tu uſu tuum feciſti.

Emptio nulla profertur, Hæreditas ad te, me uiuo, peruenire mea non potuit. Relinquitur ergo quòd ui me de meo exturbaris.

Ἐπίλογος, Concluſio, quæ circumductione quadam

quadam colligit. Vt, Quod si Danais datum erat, oraculo Troiam capi non posse nisi Philoctetæ sagittis. Hæ autem nil fecerunt aliud, nisi Alexandrum perculerunt. Hunc extinguere, id nimirum Troiam capi fuit.

DE FIGVRIS CONSTRVCTIONIS.

Figura constructionis est, quæ in Syntaxi uulgarem rationem excedit.

Cuius partes numerantur potissimum.
- Πρόληψις
- Ζεῦγμα
- Σύλληψις
- Ἐπεξήγησις
- Σύνθεσις
- Ἀντίπτωσις
- Ἀττικισμός:

Πρόληψις, Præsumptio rerum summaria, quæ deinceps particulatius enarrantur, uel pronunciatio rerum ordine secutarum.

Virg. in duodecimo.

Interea reges, ingenti mole Latinus
Quadriiugo uehitur curru, cui tempora circum

Aurati

Aurati bis ſex radij fulgentia cingunt,
Solis aui ſpecimen, bigis it Turnus in albis,
Bina manu lato criſpans haſtilia ferro.
Hinc pater Æneas Romanæ ſtirpis origo.
Sydereo flagrans clypeo, & cœleſtibus armis.
Et iuxta Aſcanius, magna ſpes altera Romæ,
Procedunt caſtris.

In Prolepſi autore Aldo Manutio, quinq; eſſe oportet. Congregationem, partes, uerbum, partium determinationem, & ordinem, quo præcedat congregatio, ſequantur partes, ut, Milites pugnant, unus in hoſtem, alter in patriam. Aquilæ uolant, hæc ab oriente, illa ab occidente. Ciuium alij præſunt, alij parent. Virgilius.

Compulerant greges,
Thyrſis oues, Corydon diſtentas lacte capellas.

Notabis duplicem eſſe prolepſim, Explicitam & implicitam. Hæc imperfecta eſt, qua aliquid tacetur. Ouidius in Epiſtolis.

Alter in alterius iactantes lumina uultus,
Quærebant taciti noſter ubi eſſet amor.

Deeſt alter in alterius. Plura apud Linacrum lib. 6. latini ſermonis. Diomedes facit aliam πρόληψιν, cum id quod poſterius accidit, ante tẽpus aſſcribitur. Virg. Lauinaq; uenit Littora. Nam cum in Italiam uenit Æneas, Lauinium nondum erat conditum.

ζεῦγμα

Ζεῦγμα est autore Linacro, quoties in similibus clausulis commune aliquid in una positum in alijs non mutatum desideratur. Virg.

Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.

Triplex est { Πρόζευγμα
Υπόζευγμα
Μεσόζευγμα.

Πρόζευγμα, Præiunctio, quoties uerbum clausulis præponitur. Cicero pro Cluentio. Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.

Υπόζευγμα, Subiunctio, cum uerbum subiungitur in fine. Ouidius.

Non Venus & uinum sublimia pectora fregit.

Quas duas partes Cicero uno adiunctionis nomine uocat, cum uerbum aut primum aut postremum collocatur, ut, Deflorescit formæ dignitas, aut morbo aut uetustate. Aut, morbo aut uetustate formæ dignitas deflorescit.

Μεσόζευγμα, cum in clausularum medio uerbum collocatur, à Cicerone coniunctio dicitur, ut, Formæ dignitas aut morbo deflorescit, aut uetustate.

Virgilius 3. Æneid.

Troiugena interpres diuûm, qui numina Phœbi,
Qui tripodas Clarij, lauros, qui sydera sentis,
Et uolucrum linguas, & præpetis omnia pennæ.

Σύλ-

Σύλληψις est, cum in dißimilibus clausulis commune aliquid, quod in una ponitur, mutatum aliquatenus in alia desideratur. Terentius in Andria Vtinam aut hic surdus, aut hæc muta facta sit. Ouidius quarto Fasto. Ilia cum Lauso de Numitore sati. Cicero 14. Epist. Si tu, & Tullia lux nostra ualetis, ego & suauißimus Cicero ualemus. Idem in Catilinam, Nihil ne te nocturnum præsidium palatij, nihil urbis uigiliæ, nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic munitißimus habendi senatus locus, nihil horum ora, uultusq; mouerunt?

Επεξήγησις, à Neotericis dicitur Appositio, quæ est immediata coniunctio substantiuorum, cum alterum ponitur ad declarationem alterius. Vt, Corydon ardebat Alexin, Delitias domini. Allia serpillumq; herbas contundit olentes. Cicero consul designatus.

Σύνθεσις, cum uerbum uel adiectiuum discordat in uoce ab eo, cui redditur, & concordat in significato. Ouidius. Turba ruunt in me luxuriosa proci. Virg. Pars in frusta secant. Idem in 6. Hic manus ob patriam pugnando uulnera paßi. Idem in quinto, Centauro uehitur magna.

Αντίπτω-

Ἀντίπτωσις fit, cum casus pro casu ponitur. Virgilius in 1. Vrbem quam statuo uestra est, subducite naues, pro, urbs. Terentius in Phormione, Vt magis placerent quas fecisset fabulas, pro fabulæ. ITEM, Sermonem quem audistis, non est meus, pro sermo. Quidam uocant ἐναλλαγὴν πτώσεων. Terentius, Hecyra huic nomen fabulæ.

Virgilius.

At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo. Datiui sunt pro nominatiuis, Vide Linacrum lib. 6.

Est & quædam figura, quam ἀλλοίωσιν uocant, quæ utramq; & σύνθεσιν & ἀντίπτωσιν cōplecti uidetur. Eius exempla ponit Calepinus hæc, Pars in frusta secant. Tu mihi quodcunq; hoc regni, pro, hoc regnum. Item, dulce satis humor. Priscianus lib. 18. Variationem appellat.

Mancinellus.

Confundit numerum casus, gen'us Alliotheta,
Siue Allœosis, quæ permutatio fertur.

Ἀττικισμὸς fit, quum ἑλληνίζοντες dicimus, Æthiops est albus dentes.

Virg. in primo Æneid.

Nuda genu, nodoq; sinus collecta fluentes.

Homerus de Thersita.

χωλὸς δ' ἕτερον πόδα, φοξὸς ἔην κεφαλήν.

Est

Est enim ἀστεϊσμὸς illud Catulli.

Non uidemus manticæ quod in tergo est. Et Terentij, Quid hominis es? Quid mulieris uxorem habes? Item, Id genus, pro eius generis. Multi hoc tempore prætextu Euangelij seditiones excitant, id genus hominum odi, nam sibi regnum, non Christo parant, ut ait Melanchthon.

DE FIGVRIS SENTENTIARVM.

Sententiarum exornatio est, quæ non in uerbis sed in ipsis rebus quandam habet dignitatem.

Διανομὴ, ,*uel* Μερισμὸς
Παῤῥησία
Μείωσις
Βομφιολογία
Λιτότης
Ἐνέργεια
Ἐπίδειξις
Διάλυμα
Κατάλογος
Χρονογραφία
Τοποθεσία
Τοπογραφία
Βάσις

Παρομολογία
Δικαιολογία
Παραδιαστολὴ
Συνοικείωσις
Χρησμὸς ἢ Μαντοσύνη
Φαντασία
Χιασμὸς
Διαλογισμὸς
Διέξοδος
Μεταμόρφωσις
Προκατασκευὴ
Νόημα
Παθοποιΐα

Ἀναγκαῖον	Διάλογος, uel Διαλογισμὸς
Συναθροισμὸς	Βραχυλογία, Ἐπιτροχασμός
Ἐξεργασία	uel Βραχυέπεια
Ἐπιμονὴ	Αἰτιολογία
Χαρακτηρισμὸς	Αὔξησις
Διασυρμὸς	Παρένθεσις.

Διανομὴ, *uel* Μερισμὸς, *distributio est, copiæ artifex, cum genus per species, corpus per membra declaramus, & maximè ad* ἄλλα *dilucidanda pertimet, ut, Honestum est bellum, quod contra Turcam suscipitur. Nam honestum est, quo patria seruatur, quo religio uindicatur, quo lares, liberi, coniunx defenduntur, ut ait Melanchthon.*

Παῤῥησία *est, cum aliquid liberius dicimus contra eos, quos maximè placatos oportebat. Aut etiam contra nos, quæ concesßio criminis sæpè adulationem præ se fert. Cicero pro Ligario, Suscepto bello Cæsar, gesto etiam magna ex parte, nulla ui coactus, consilio ac uoluntate mea, ad ea arma profectus sum, quæ erant contra te sumpta. Cicero licentiam appellat. Miramini Quirites, quòd ab omnibus uestræ rationes deserantur, quòd nemo uestri defensorem profiteatur, id tribuite uestræ culpæ &c.*

Μείωσις, cum minus dicimus, quàm uelimus intelligi, Vt cum dicimus læsisse, qui uulnerauit. Affinis est λεπτότης, de qua supra.

Βωμολογία, μειώσει contraria, cum res tenues ac leuiculæ quædam efferuntur, nimis tumida & magnifica oratione. Qualem Comici pro decoro personæ, militibus gloriosis & parasitis attribuunt.

λιτότης, est tenuitas, uel extenuatio, uitandæ arrogantiæ gratia, Si quid est in me ingenij &c. Cicero Diminutionem appellat. Hoc pro meo iure iudices, me labore & industria curasse, ut disciplinam militarem, non in postremis tenerem. Hic si quis dixisset, ut optimè tenerem, tametsi uerè dixisset, tamen arrogans uisus esset.

Ενέργεια, Quæ amplificandi, ornandi, uel delectandi gratia rem ceu coloribus expressam, in tabula spectandam proponit, ut depicta, non narrata, spectata, non lecta, uideatur. Vel est proposita quædam forma rerum, ita expressa uerbis, ut cerni potius uideatur, quàm audiri. Vt.

Ipse inflammatus scelere ac furore, in forum uenit, ardebant oculi, toto ex corde crudelitas emicabat, &c.

Constat

Constat autem præcipuè descriptione Rerum, Temporum, Locorum, Personarum.

Descriptionem rerum alij ὑπογραφὴν, alij ὑποτύπωσιν, uel διατύπωσιν, appellant, alij χαρακτηρισμὸν, de qua infra.

Temporum χρονογραφίαν. Locorum ueram τοπογραφίαν, Fictam, τοποθεσίαν. De quibus infra latius.

Personarum, προσωπογραφίαν. De quibus ubertim Erasmus secundo copiæ. Porrò ὑποτύπωσιν Cicero descriptionem appellare uidetur, qua id quod fit, aut factum est, non summatim, aut tenuiter exponimus, sed omnibus fucatum coloribus ob oculos ponimus, ut auditorem, siue lectorem iam extra se positum, uelut in theatrum auocet. Veluti si quis expugnatam ciuitatem dicat, cuncta nimirum in summa complectitur, quæcunq; talis fortuna recipit. At si aperiemus hæc, quæ uerbo uno inclusa erant, apparebunt effusæ per domos ac templa flammæ, & ruentium tectorum fragor, ex diuersis clamoribus unus quidam sonus, aliorum fuga incerta, alij in extremo complexu suorum cohærentes, & infantium fœminarumq; ploratus, male usque in illum diem seruati fato senes.

Tum illa prophanorum sacrorumq; direptio, repetentiumq; discursus, & ante suum quisq; prædonem catenati, & conata retinere suum infantem mater. Et sicubi maius lucrum est, digna inter uictores. Licet enim omnia complectatur euersio, minus est tamen totum dicere, quàm omnia. Hæc ex secundo de rerum copia Erasmi, & Fabio. Refert idem libro octauo cap. 3. Descriptionem conuiuij luxuriosi. Videbar, inquit, uidere alios intrantes, alios uero exeuntes, quosdam ex uino uacillantes, quosdam hesterna potatione oscitantes. Humus erat immunda, lutulenta uino, coronis languidulis, & spinis cooperta piscium. Est & ἐπίδειξις figura, quam Cicero Demonstrationem uocat, cum ita res uerbis exprimitur, ut geri negocium & res ante oculos esse uideatur. Quintilianus libro sexto capit. tertio, φαντασίας appellat uisiones, per quas imagines rerum absentium ita repræsentantur animo, ut eas cernere oculis, ac præsentes habere uideamur.

Διάλυμα, Diuisio, quæ rem semouens abre, utramq; absoluit ratione subiecta, hoc modo. Cur ego nunc tibi quicquam obijciam? si probus es, non meruisti, sin improbus, non commoueris. ITEM, Quid ego nunc de meis proprijs meritis prædicem? si meruistis obtundam, sin obliti estis, cum re nihil egerim

egerim, quid est quod uerbis proficere possim? Salustius in Iugurthino. S. deditus erit, profecto iussis obediens erit. Sin ea contemnit, scilicet æstimabitis qualis illa pax erit, aut deditio sit &c.

Κατάλογος. *Recensio, Est sermo, uel scriptura, numerum uel ordinem monstrans. Quam aliqui figuris ascribunt.*

Χρονογραφία, *temporis descriptio. Vnde Mancinellus, Temporis esse solet descriptio* Χρονογραφία, *ut nocturni temporis ad amplificandos Didonis pertinens dolores apud Virgilium descriptio.*

Nox erat, & placidum carpebant fessa soporem
Corpora, per terras, syluæq;, & sæua quierant
Æquora, cum medio uoluuntur sydera lapsu,
Cum tacet omnis ager, pecudes pictæq; uolucres,
Quæ lacus latè liquidos, quæq; aspera dumis
Rura tenent, somno posito sub nocte silenti
Lenibant curas, & corda oblita laborum.

Τοποθεσία, *Est ficti loci descriptio.*

Ouidius 8. Metamorph.

Est locus extremis Scythiæ glacialis in oris,
Triste solum, sterilis, sine fruge, sine arbore tellus,
Frigus iners, illic habitant pallorq; tremorq;.

Τοπογραφία, *uera locorum est descriptio, Cuius*

ius exempla paßim multa sunt apud authores.

Βάσις, Est Authore Donato, cum in narrationibus omnia pedetentim dicuntur, insinuandi gratia. Terentius in Eunucho. Matri mercator dono dedit. Mater ubi accepit, cœpit studiosè omnia docere, & educare, ita ut si esset filia, Sororem pleriq; credebant esse meam. Ego cum illo, quo cum uno rem habebam tum hospite, abij huc, qui mihi reliquit hæc, quæ habeo, omnia.

Παρομολογία, Est confeßio. Cum multa aduersario permisimus, unum tantū excusamus factum. Vel cum interroganti per defensionem quandam respondemus, ut, Esto sanè fueris aliquando amicus unà militaueris, sint aliqua tua in eum beneficia, quid tum? An non potuit dißilire gratia?

ITEM, Occidisti? occidistin illum? Latronem equidem me in nemore inuadentem. Occidisti Clodium Milo? Occidi, sed insidiatorem, & euersorem Reipublicæ. Vapulasti? innocenter sanè.

VEL est παρομολογία, ut placet Gorgiæ, cum aliqua aduersario permittimus, sed inferimus quod maius sit, aut reliqua infirmet. Hyperides. Sume hoc ab iudicibus nostra uoluntate. Neminem illi propiorem cognatum, quàm te fuisse concedimus, Officia tua nonnulla in illum extitisse, stipendia

nos unà fecisse aliquamdiu nemo negat. Sed quid contra testamentum dicis, in quo scriptus hic est.

Δικαιολογία, Est cum causamur æquitatem. Vel qua rationem reddimus, nos iure quippiam fecisse. Cicero, Cælius lapsus est, sed in adolescentia, cui nonnihil donandum. ITEM. Inter tales uersatus sum, inter quos non potui non corrumpi.

Παραδιαστολὴ, qua similia discernuntur, cum te pro astuto sapientem, pro confidente fortem, pro illiberali diligentem appelles, ut ait Quintilianus libro nono, capite tertio. At an figura sit dubitat, cum pendeat ex finitione.

Συνοικείωσις, Est quæ duas res diuisas colligat, Autore Quintiliano. Tam deest auaro quod habet, quàm quod non habet.

Χρησμός ἢ Μαντοσύνη, Prædictio. Virg. Sæpe sinistra caua prædixit ab ilice cornix.

Φαντασίαι, ut Quintilianus libro sexto ait, uisiones sunt, per quas imagines rerum absentium ita repræsentantur animo, ut eas cernere oculis, ac præsentes habere uideamur. Eadem ferè est, quæ uocatur effictio, de qua paulo post.

Χιασμὸς, *ut ſexto Rhetoricorum libro Trapezontius ait, à* χ, *litera, quæ crucis in morem ex interſecantibus ſe duabus obliquis lineis figuratur. Eſt autem in circuitu ſiue periodo, cum in quadrimembri circuitu uel ſententia utriuſq; propoſitionibus ambæ redditiones conueniunt, & è conuerſo, Vt:*

Philippus quo plura ſupra ſuam dignitatem fecit.	*Hoc apud omnes admirabilior exiſtimatur.*	1
		Redditio
Vos autem ô ciues Athenæi, quanto peius res ueſtras perſecuti eſtis.	*Tanto maiorem iguominiam retuliſtis.*	2

Quod Demoſthenes ſic extulit.

Ὁ μὲν γὰρ φίλιππος ὅσῳ πλείονα ὑπὲρ τὴν ἀξίαν πέποιηκε τὴν αὑτοῦ.	τοσούτῳ θαυμαστότερος παρὰ πᾶσι νομίζεται.
Ὑμεῖς δὲ ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι ὅσῳ χεῖρον ἢ προσήκε χρῆσαι τοῖς πράγμασι.	Τοσοῦτω πλείονα αἰσχύνην ὠφλήκατε.

Διαλογισμὸς, *cum ſecum quiſpiam diſputat quid*

quid sibi faciendum. Cicero in L. Catilinam oratione prima. Quanquam quid est, quod loquar? Te ut ulla res frangat, Tu ut unquam te corrigas. Tu ullum ut exilium cogites? Terent. in Eunu. Quid igitur faciam?

Διέξοδος, est reditus post egressionem ad institutum.

Μεταμόρφωσις, Quædam transformatio rei. Qua figura prophetæ sunt creberrime usi. Esaiæ cap. 1. Et erubescetis super hortis, quos elegeratis cum fueritis uelut quercus defluentibus folijs, & uelut hortus absq; aqua. Et erit fortitudo uestra ut fauilla stuppæ, & opus uestrum ut scintilla, & succendetur utrũq; simul, & non erit, qui extinguat.

Elegans est metamorphosis, qua lucos, hortos, & delubra, stuppam facit, & autores atq; cultores eorum scintillam. Quæ ubi coniuncta erunt, quid aliud quàm ingens incendium dabunt?

Προκατασκευή, Cum rei, de qua sumus acturi colorem præparamus, atq; prætendimus.

Virg. in 4.

Anna soror, quæ me suspensam insomnia terrent?. . . Vsq;

Quæ bella exhausta canebat? Nam primò

mò de inſomnijs queſta eſt. Deinde ſe mirari uirtutem hoſpitis dixit, & ueram fidem eſſe, à Dijs illum genus ducere. Miſerari etiam genus & errores ut uerecundius poſtea de amore fateretur, quaſi in affectum hoſpitis, uel inſomnijs, uel admiratione calamitatis inducta ſit. Paruum differre uidetur ab inſinuatione.

Νόημα, quum tectè ſignificamus, quod auditor ex ſe ipſe diuinet. Vel ſententioſum ſcomma, detortum in perſonam aliquam, cuius mores & ineptiæ notantur. Liuius 1. Dec. 4. Athenienſes quidem literis uerbisq; bellum aduerſus Philippum gerebant. Quo Noêmate Liuius ſalſé notat imbellem loquacitatem Græculorum. Quos & Demoſthenes alicubi literis magis, quàm manu. καὶ τοῖς ψηφίσμασι belligerari teſtatur, quàm manu καὶ τοῖς ἔργοις ut ipſe inquit.

παθοποιΐα, Eſt uehementiorum affectuum & perturbationum expreſsio, De qua Macrobius libro 4. Huius duæ ſunt formæ.

Prior, quam imaginationem uocant, qua mens dolor, ira, furor, odium, inuidia, effrenis cupiditas, libido, immodica ſpes, immoderata lætitia, perturbatioq; animi deſcribitur.

Virg.

Virgilius in quarto.

Nec tibi diua parens, generis nec Dardanus autor.
Et quæ sequuntur. Item.
Quid me alta silentia cogis Rumpere? &c.

Huius exempla sunt paßim obuia in Tragœdijs.

Altera forma est Commiseratio, qua eliciuntur lachrymæ, uel mouetur misericordia, uel captatur uenia. Exempla sunt in orationum perorationibus, & in querelis poëticis.

Αναγκαῖον est, quo neceßitudine naturæ, temporis, aut alicuius personæ, nos quicquam fecisse testamur, seu factum excusamus. Cicero pro Roscio Amerino, Sic se res habet iudices, magnam uim, magnam neceßitatem, magnam poßidet religionem, paternus maternusq; sanguis. Ex quo si qua macula concepta est, non modo laui non potest, uerum usq; eo permanat ad animum, ut summus furor atq; amentia consequatur.

Συναθροισμὸς, Frequentatio, cum res in tota causa dispersæ, coguntur unum in locum, quo grauior, aut acrior, aut criminosior oratio sit, hoc pacto. A quo tandem abest iste uitio? Quid est iudices, cur uelitis eum liberare? Suæ pudicitiæ proditor est, insidiator alienæ, cupidus,

intem.

intemperans, petulans, superbus, impius in parentes, ingratus in amicos, infestus in cognatos, in superiores contumax, in æquos & pares fastidiosus, in inferiores crudelis, deniq; in omnes intolerabilis. Hæc figura maximè conducit Epilogis. Alij uocant ἐπιτροχασμὸν, cum diuersæ res coaceruantur, ut Terent. in Heauton. Mea est procax, potens, magnifica, sumptuosa, nobilis. Rom. 1. Repleti omni iniustitia, scortatione, uersutia, auaritia, malitia, pleni inuidia, cæde, contentione.

Ἐξεργασία, Expolitio, cum in eodem loco manemus, & aliud atq; aliud dicere uidemur. Vel cum idem, sed alijs subinde uerbis auctum, dicimus, ut, Nullum periculum sapiens pro Repub. detrectabit, si patriæ necessitas inciderit, quæ uiri sapientis uirtutem desideret. Inhumanus ille fuerit, nisi patriam summis uiribus iuuet. Vagatur Expolitio per omnia ferè schemata, quæ possunt orationem augere, Vide Erasmi Copiam.

Ἐπιμονὴ, Perseuerantia, Cicero commorationem appellat. Est cum in eo commoramur, quod est in caussa fortissimum. Vt Cicero in Miloniana, in exponendis insidijs diutius manet, ac commoratur.

Χαρακτηρισμὸς, Effictio, cum exprimitur & effin-

effingitur uerbis corporis cuiuſpiam forma, quo ad ſatis ſit ad intelligendum. Vt, hunc dico iudices rubrum, breuem incuruum, canum, ſubcriſpum, cæſium, cui magna in mento cicatrix. Litanus Plautinus in Aſinaria. Sauria eſt macilentis malis, ruffulus, aliquantum uentroſus, truculentis oculis, commoda ſtatura, triſti fronte.

Διάλογος uel διαλογισμὸς, Sermocinatio eſt, cum alicui perſonæ ſermo attribuitur, & idem exponitur cum ratione dignitatis. Vel quoties unicuiq; ſermonem accommodamus ætati, generi, uitæ inſtituto, animo, moribusq́; congruentem, ut ait Eraſmus ſecundo Copiæ. Vt, Venit crudelis miles cum ſago, gladio ſuccinctus, tenens iaculum, quinq; adoleſcentes hominem ſimili ornatu ſubſequuntur, irrumpit in ædes ſubito, deinde uoce magna, Vbi eſt iſte beatus, inquit, ædium dominus, qui non mihi præſto fuit? Quid tacetis? Hic alij omnes ſtupidi timore obmutuerunt, Vxor illius infeliciſsimi cum maximo fletu ad iſtius pedes abiecit ſeſe. Per te, inquit, & per ea quæ tibi dulciſsima ſunt in uita, miſerere noſtri, noli extinguere extinctos, fer manſuetè fortunam, nos quoq; fuimus beati, noſce te eſſe hominem. At ille, Quin illum mihi datis? at uos auribus meis opplorare deſinitis? Non abibit &c.

Βραχυλογία, uel Ἐπιτροχασμὸς, uel Βραχυέπεια. *Breuitas est res ipsis tantummodo uerbis necessarijs expedita. Hoc modo, Lemnum prætereiens cepit. Inde Tharsi præsidium reliquit, pòst urbem in Bythinia sustulit, inde pulsus in Hellespontum, statim potitur Abydo.* ITEM, *Modo consul, quondam Tribunus, deinde primus erat ciuitatis, tum proficiscitur in Asiam, deinde exul & hostis est dictus, pòst imperator, postremo consul factus est.*

Αἰτιολογία, *est dictorum ratio caussaq́; subiecta, ut; si, postquam dixeris pauciores hoc tempore Mathemata sequi, caussam subijcias, non posse fieri, ut ea in re, sibi quisquam elaborandum putet; cui nec honorem, nec præmia satis digna constituta esse intelligat. Terentius in Eunucho. Sed ipsa egreditur nostri fundi calamitas. Nam quod nos capere oportet, hæc intercipit. Paulus Rom. 8. Caro non implet legem, Nam qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt ædificant.*

Αὔξησις, *Incrementum, cum grauioribus uerbis insurgit increscitq́; oratio. Cicero actione septima in Verrem, Facinus est uincire ciuem Romanum, scelus uerberare, parricidium necare, quid*

dicam

dicam in crucem tollere? IDEM, Non furem, sed raptorem, non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ, non sacrilegum, sed hostem sacrorum religionumq́;, non sicarium, sed crudelissimum carnificem ciuium, sociorumq́;, in uestrum iudicium adduximus.

Διασυρμός, Eleuatio est, qua grauiora in nos allata argumenta, quæ diluere labor est, eleuamus & contemnimus, nihil attinere ad ea respondere, quæ nihil ad rem facerent.

παρένθεσις, Interpositio, uel interclusio, ut ait Quintilianus libro nono cap. tertio. Dum continuationi sermonis medius aliquis sensus interuenit. Cicero pro Milone. Ego cum te (mecum enim sæpissime loquitur) patriæ reddidissem. Virgilius. παρένθεσιν & ἀποστροφὴν coniunxit.

Haud procul inde citæ Metium in diuersa quadrigæ
Distulerant (at tu dictis Albane maneres)
Raptabatq́; uiri mendacis uiscera Tellus.



D B

DE VITIO QVÆ SECVNDA Schematis pars est.

VITIVM est in oratione, quasi error quidam, qui & si poëtis condonatur, in prosa tamen intollerabilis est.

Species sunt, { Obscurum
Inordinatum
Barbarum.

DE OBSCVRO ET EIVS partibus.

Obscurum est, cum uel uerborum, uel structuræ uitio obscuritas quædam inducitur.

Cuius Species numerantur octo.

Ακυρὸν	Ομοιολογία
πλεονασμὸς	Αμφιβολογία
περισσολογία	Εκλειψις
ταυτολογία	περιεργία.

Ακυρὸν uel ἀκυρολογία Improprietas, cum dictio minimè propriæ significationis, orationi ceu nubes inducitur. Dauus apud Terentium in Andria,
Nam quod tu speras, propulsabo facilè.

Virg. in quarto.

Hunc ego si potui tantum sperare laborem.
Iuue. satyr. 4. Iam quartanam spectantibus ægris
Stridebat deformis hyems.

Sperare

Sperare pro timere. Quomodo & Græci suum ἐλπίζειν *usurpant.* Virgilius in Eclogis.
Vir caper ipse gregis, dixit, cum uir hominum sit.
Idem. *Calamos armare ueneno.* Idem in 5. Æneid.
Nunc pater & tenues Teucrûm res eripe leto.
Idem in 8. *Multis uiduasset ciuibus urbem.*
Horat. 1. Odarum. *Viduus pharetris Risit Apollo.*
Virgilius in 9. *Turne quod optanti diuûm promittere nemo auderet.*
Idem in 11. *Saltuq; superbus Emicat in currum, & manibus molitur habenas.*
Terentius in Phormione. *En unquam iniuriarum audisti mihi scriptam dicam.*

Πλεονασμὸς *fit, quoties (inquit Fabius lib. 8. cap. 3.) superuacuis uerbis oneratur oratio.*
Virg. in primo. *Sidonia Dido sic ore locuta est.*
Idem in septimo, *Sic orsa uicissim Ore refert.*
Idem in 11. *Tristes Latonia uoces Ore dedit.*
Terentius in Adelphis. *Hisce oculis egomet uidi.*
Idem in Phormione. *Vnctum atq; lautum è balneis ociosum ab animo uiuere.*
Liuius libro primo. *Ictus claua, fidem pastorum nequicquam inuocans morte occubuit.* Fit multis modis, ut Linacer sexto libro docet.

Περισσολογία, *fit cum sententia aliqua sine re-*

rum pondere adijcitur, Vel ſecundum Diomedem, Eſt multorum uerborum adiectio ſuperuacua, ſine ulla ui rerum, ut, Ibant qua poterant, qua non poterant non ibant; Liuius in 8. ab urbe. Legati non impetrata pace, retrò domum unde uenerant, reuerſi ſunt. Idem libro ſecundo belli punici, Marcellus retrò unde uenerat, Nolam redit.

ταυτολογία, eſt autore Quintiliano, eiuſdem uerbi, aut ſermonis iteratio, Terentius in prologo Adelphi. Eum locum Plautus reliquit integrum, eum hunc ſibi locum ſumpſit. In quod uitium, ut idem autor ait libro octauo, capite tertio, ſæpe etiam Cicero incidit, ſecurus tam paruæ obſeruationis, ut in oratione pro A. Cluentio. Non fuit igitur illud iudicium iudicij ſimile iudices, non fuit, in quo non modus adhibitus. Virgilius in tertio.

Humilemq; uidemus
Italiam, Italiam primus conclamat Achates,
Italiam læto ſocij clamore ſalutant.

ταυτολογίαν Diomedes uocat, ſuperuacuam eiuſdem dictionis in eadem ſententia repetitionẽ, ut, Flens lachrymarum fluorem fudit.

ὁμοιολογία, quæ nulla uarietatis gratia leuat tædium, atq; eſt tota coloris unius, quæ maximè depre-

deprehenditur, carens arte Oratoria. Eaq́; & in ſententijs, & in figuris, & compoſitione longa, non animis ſolum, ſed etiam auribus eſt ingratiſsima. Quod genus orationis Ciceroni uidetur aridum & exangue. Vt, Nam ille iſtic ad balneum acceßit, adhuc poſtea dixit. Hic unus ſeruus me pulſauit. Poſtea dixit hic illi, conſiderabo, poſt ille conuitium fecit, & magis magisq́; præſentibus multis clamauit. Eraſmus primo copiæ, cap. 8. Copia peculiariter confert ad uitandam ταυτολογίαν, uitium, cum fœdum tum odioſum. Qua prior ὁμοιολογία, quemadmodum Fabius ait, quæ nulla uarietatis gratia, &c.

Αμφιβολογία uel ἀμφιβολία, quando ſtructuræ uitio dubitatur, utrò uerbum ſit referendum, ut, Aio te Aeacida Romanos uincere poſſe. Quo Delphici illius uaniſsimi ſpiritus, & mendaciſsimi nebulonis reſponſo, circumuentus ambiguo Pyrrhus Rex, ut ait Oroſius libro quarto. ITEM. Tullius hæres meus Terentiæ uxori meæ, xxx. pondo uaſorum argenteorum dato, quæ uolet.

ITEM. Teſtamento quidam iußit poni ſtatuam auream, haſtam tenentem.

Virgilius primo Æneidos de Troilo.

Lora tenens tamen. Quem locum citat Quintilianus libro 7. capite 10.

Ἔκλειψις, defectus, cum sermoni aliquid deest, quo minus plenus sit. Virg. Italiam fato profugus, deest ad. Terentius in Eunuch. Ego ne illam? quæ illum? quæ me? quæ non? Item, Quid multis moror? quid multa? paucis te uolo.

Fit ἔκλειψις uarijs modis, & ferè per omnes orationis partes, ut libro sexto docet Linacer. Quintilianus lib. 8. cap. 3. uidetur hoc uitium appellare μείωσιν. Vitanda est inquit, μείωσις, cum sermoni quidem deest aliquid, quo minus &c. Idem lib. 1. cap. 9. Detractionis uitium ἔλλειψιν uocat.

Περιεργία, superuacua, & (ut sic dixerim) operositas nimia in loquendo. Quod uitium aut idem, aut certè admodum affine ei, quod μακρολογίαν nominat, cum Fabius, tum Diomedes, cum sermo cultus gratia longior sit quàm oportet.

Virgilius in duodecimo.

Postera uix summos spargebat lumine montes
Orta dies, cum primum alto se gurgite tollunt
Solis equi, lucemq; elatis naribus efflant.

Lucanus lib 1.

Crine ut flammifero terret fera regna Cometes,
Sanguineum spargens ignem, uomit atra rubentes
Fax cœlo radios, & sæua luce coruscum.
Scintillat sydus, terrisq; extrema minatur.

Hæc

Hæc uitia quanquam fermè omnia à Diomede sub obscuro genere comprehenduntur, non tamen ignoro, multis aliter uideri posse, ut ut sit, nobis in paruo discrimine ponitur.

DE INORDINATO, ET *eius speciebus.*

Inordinatum est, cum uel ordo, uel dignitas uerbis deest.

Cuius species sunt:
- Ταπείνωσις
- Κακέμφατον
- Κακόζηλον
- Ἀσχημάτιστον
- Κακοσύνθετον
- Σωραϊσμός.

Ταπείνωσις, *uitium, quo rei dignitas uerbi humilitate deprimitur. Gellius lib. 3. cap. 7. Maturum censeo, si rem seruare uis, faciundum, ut quadringentos aliquos milites, ad uerrucam illam (sic enim M. Cato locum æditum asperumq; appellat) ire iubeas. Virg. 1. Æneid. Apparent rari, nantes in gurgite. Ibidem. Multa malus simulans, id est, scelestus.*

Idem in Eclog.

Dulichias uexasse rates. At Macrobius libro sexto, capite septimo, Graue uerbum ait hoc esse.

Hora. primo Odar. sexta.

Conamur neq; hæc dicere, nec grauem Pelidæ
Stomachum cædere nescij. Stomachum pro iracundia dixit. Idem lib. 3. Oda. 4.
Quicunq; celsæ nidum Acherontiæ
Saltusq; Batinos tenent.
Terentius in Andria, Paululum interesse censes ex animo omnia, ut fert natura, facias, an de industria, id est, multum.

κακέμφατον, uel κακόφατον, uel αἰσχρολογία, Cum corrupta consuetudine in obscœnum intellectum sermo detorquetur, ut Virgilius in 6.
At ramum hunc, aperit ramum, qui ueste latebat.
Virg. in 12. Arrexêre animos Itali. Terentius in Andria, Arrige aures Pamphile. Cum arrectio genitali membro propria sit. Non scripto modo, sed etiam sensu pleriq; obscœnè intelligere, nisi caueris, cupiunt, ut apud Ouidium primo Metamor. Si qua latent, meliora putat. Ac ex uerbis, quæ longißimè ab obscœnitate absunt, occasionem turpitudinis rapere. Siquidem Celsus κακόφατον apud Virgilium putat, Incipiunt agitata tumescere.
Quod si recipias, nihil tutum est, ut ait Quintilianus lib. 8. cap. 3. FIT etiam compositione cum iunctura deformiter sonat. Virg. Corpora fundit humi, & numerum cum nauibus æquat. Item, O fortunatam

natam natam me consule Romam. Quem Ciceronis uersum citat Iuuenalis satyra decima.

Κακόζηλον, mala, ut Quintilianus ait, affectatio, quoties ingenium iudicio caret, & specie boni fallitur, infeliciterq; æmulatur, uitium ut omnium peßimum, ita hodie ferè omnibus commune. A Diomede κακοζηλία, uocatur. Hæc est per affectationem corrupta sententia, cum eo ipso dedecoretur oratio, quo illam uoluit autor ornare. Fit autem nimio tumore, aut nimio cultu, Nimio tumore.

Vt, Iuppiter ô præsens cœli qui sydera torques,
Ore tuo dicenda loquar.

Rectè Horatius in Poëtica.

Non sic incipies, ut scriptor Cyclicus olim,
Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.
Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?

Nimio cultu. Ouid. secundo Metamorph.

Aureus axis erat, temo aureus, aurea summæ
Curuatura rotæ, radiorum argenteus ordo.

Ασχημάτιστον, id est, malè figuratum, cum oratio prorsus simplex, suis figuris, quibus ueluti stellulis reluceret, caret. Quintilianus lib. 9. cap. 1. Aliam orationem esse dicit ἀσχημάτιστον, id est, carentem figuris, quod uitium non inter minima sit, Aliam ἐσχηματισμένην, id est, figuratam.

κακοσύνθετον, Malè collocatum, ubi quippiam non ſuum habuerit locum, in quo quadrat.

Virg. 9. Omne æuum ferro teritur, uerſaq; iuuencũ Terga fatigamus haſta.

Eſt deformis & uitioſa dictionis compoſitio, ut ait Donatus, ut ſi dicas, Bacchum celebrant cum uino multi orgia Thy[illegible] ITEM, Annibal Romanos contra Alpes cum aceto montium rupes dirupit, & efferus effregit.

Σωραϊσμὸς, Miſcella quædam & aceruatio ex uarijs idiomatis apud Græcos. Aqud nos ex uerbis barbaris & latinis, proprijs & improprijs, obſoletis & nouis. Vt ſi dicas, Paſſorum ſenum ſcruta ego non empſitem titiuillitio, aut butabata.

ITEM, Antigerio crepero duello uituperones patrauerunt, ſariſsis cluentes. ITEM, Vbi ducillatur temetum, ibi ſæpe perduelliones non ſolum dyotis, ſed etiam acinacibus digladiantur.

Ac ut ſis ſciens, in his uitijs planè tibi nihil condonarim. Nam quamuis Virgilius ſemel atq; iterum in ipſis audax fuerit, tibi tamen non itidem hæc imitari fuerit conſultum. Quandoq; bonus dormitat Homerus, Verum opere in magno fas eſt obrepere ſomnum, ut ait Horatius in poëtica.

DE

DE BARBARO EIVSQVE *ſpeciebus.*

Barbarum uitium eſt, quod ad quandam uelut barbariem tendit.

Cuius partes ſunt hæ: { Βαρβαρισμὸς / Βαρβαραλέξις / Σολοικισμὸς.

Βαρβαρισμὸς, *eſt (authore Diomede) contra Romani ſermonis legem, aut ſcripta, aut pronunciata uitioſa dictio. Fit autem additione, detractione, immutatione, tranſpoſitione, & id quidem aut literæ, aut ſyllabæ, temporis, toni, aſpirationis. Quorum exempla partim ubi figuræ dici meruerunt, exhibuimus, partim Barbarorum, cum locutio, tum ſcriptio (ne dubita) ſuppeditabit. In græcis poëmatis ubiq; ſunt obuia, his enim nihil negatum, Ridet Martialis in Epigrammatum libro nono, adeo, ut apud illos, is fermè optimus habeatur poëta, qui in eiuſmodi quàm maximè fuerit audax.*

SVNT *præterea pronunciationis quædam uitia quæ nonnulli Barbariſmos uocant, ut ſunt* Ιωτακισμοὶ, λαβδακισμοὶ, μυτακισμοὶ, πλατειασμοὶ, χαλοσομία.

Ιωτακισμὸς *eſt cum i litera, ſupra iuſtum decorem in dictionibus oſtenditur.*

Λαβδακισμὸς, si lucem prima syllaba, uel alma nimium plenè pronuncies.

Μυτακισμὸς, cum in fine partis orationis inuenitur litera m, & sequens à uocali incipit, quæ non sit loco consonantis posita. Hæc enim scribitur, non autem pronunciatur. Vt Cicero in Catilinam, Quousq; tandem abutere Catilina patientia nostra?

Πλατειασμὸς, uitium oris est, cum faucibus nimium diductis, & ore plus satis patulo, sermo profertur. Πλατειάζειν est ore diducto loqui. Cui uitio opponitur ἰσχνότης, quo literæ nimis graciliter efferuntur.

Χελοσομία, uitium est, cum uox quasi in recessu, & extrema concauitate auditur. Ὀρθοέπεια igitur conseruauda erit.

Βαρβαρολέξις, Quoties Romano sermoni peregrinæ linguæ dictio inseritur.

Virg. primo Æneid.

Et Troia gaza per undas. Idem.
Miratur molem Æneas magalia quondam. Idem tertio Georg. Belgica uel molli melius feret esseda collo. Cicero pro Scauro. Quem purpura regalis non commouit, cum Sardorum mastruca mutauit. Idem de prouincijs consularibus, Res in Sardinia cum mastrucatis latrunculis gestæ.

Persius


Persius Satyra quinta.

Vertentem ſeſe fruſtra ſectabere canthum.

Horatius 1. Epiſt.

Eſſeda feſtinant, pilenta, petorita, naues.

Σολοικισμὸς *eſt, inquit Aſinius Capito apud Gellium, libro quinto. cap. 20. impar & inconueniens compoſitura partium orationis. A uetuſtioribus, ſtribligo dicebatur, à tortuoſæ orationis prauitate, ab alijs imparilitas. Perſius ſatyra prima, modum loquendi deprauatum, loquendi ſartaginem uocat. Nomen habet à Solis. Olim à Crœſo in Ciliciam profectus Solon, urbem condidit, atq; ex ſuo nomine Solos appellauit, in qua Athenienſium aliquot ſtatuit, qui tractu temporis cum patriam uocem corrupiſſent,* σολοικίζειν *dicti ſunt.*



Fic

Fit autem, autore Diomede, Solœcismus generaliter modis 14. per

- Imitationem generum, caſuum, numerorum, perſonarum, temporum, ordinis, accentus.
- Qualitatem.
- Modos uerborum.
- Aduerbia.
- Præpoſitiones.
- Gradus ſeu collationes.
- Per geminationem abnuendi.

Sunt, qui Σολοικισμοῦ ſpeciem faciunt παραλλαγὴν προθέσεων, hoc eſt, immutationem præpoſitionum. Virgilius.
Cui tantum de te licuit ſperare, pro, in te. Terent.
Quàm me amas de fidicina hac, id eſt, propter.
Linacer uocat Ἀντιμερίαν, & ἐναλλαγὴν προθέσεων, eamq; ait fieri modis quatuor, cum pars declinabilis ponitur pro indeclinabili, aut non declinabilis pro declinabili, aut declinabilis pro declinabili, aut non declinabilis pro non declinabili.

DE VIRTVTE, QVÆ Schematis pars tertia.

VIRTVS eſt, qua oratio honeſtatur, attolliturq; ſupra uulgi ſermonem.

Cuius genera duo: Proprietas, Ornatus.

Proprie-

Proprietas est, quæ uel ſcripto, uel pronunciatione, uel uerbis nihil improprium habet.

Eius partes ſunt { Ἀναλογία / Τάσις / Συντομία.

Ἀναλογία, *eſt proportio quædam finitore Diomede (nam nobis non perinde probatur) qua rectè ſcribendi ratio conſeruatur. Hæc barbaram linguam ab erudita & genuina ſeparat, ut bonus argentarius argentum à plumbo. Non eſt loquendi lex ſed obſeruatio, non ratione nitens, ſed exemplo, Summorũ enim uirorum in eloquentia iudicium pro ratione eſt, ut ait Quintilianus libro 1.*

Τάσις *uel* προσῳδία, *qua uerborum dulcis ac iucunda ſeruatur modulatio. Nam quædam acuto tenore, pleraq; graui, alia flexo, denunciantur. Quæ uirtus ad uocis flexibilitatem præcipuè pertinet. Gellius ádfatim, áduerſum, & alia, pronunciat acuta prima, lib. 7. cap. 7.*

Συντομία, *cum breui & compendioſo uerborum ambitu, res quantumuis ingens pro dignitate redditur. Virgilius in primo.*

Naſcetur pulchra Troianus origine Cæſar.

Imperi-

Imperium Oceano, famam qui terminet astris,
Iulius, à magno demissum nomen Iulo.

Hic enim Troiana dignitas, & Cæsaris principatus, & Romano imperio possessio indicatur orbis, ut ait Diomedes. ITEM, *Et campos ubi Troia fuit. Vbi idem Virgilius paucissimis uerbis maximam ciuitatem hausit, & absorpsit, ut ait Macrobius lib. 5. cap. 1.*

Est & orationis uelut lux quædam, quæ uerba ipsa rei propriè adeo accommodat, ut non tam narrari, quàm geri uideatur. Hanc uirtutem Græci, qui lucem, quam rebus addit spectant, ἐνέργειαν, hoc est, illustrationem, uel euidentiam consueuerunt appellare, qui uerò mouendi efficaciam ἐνέργειαν, ab opere, de qua supra dictum, in figuris sententiarum.

DE ORNATV ET EIVS *speciebus.*

ORNATVS *orationis suo se nomine prodit, ut finitione minimè sit opus.*

Genera eius sunt { Σύνθεσις / Κυριολογία / Τρόπος.

Σύνθεσις, *Apta modulis suis structura, qua pes alius alio iucundiorem clausulam efficere dinosci-*

noscitur. Compositionem reddunt. Ea debet esse honesta, iucunda, uaria. Eius sunt tres partes, Ordo, Coniunctio, uel iunctura, & Numerus oratorius. In ordine spectandum erit, ne decrescat oratio, & fortiori iungatur aliquid infirmius, sed augeatur, & sententiæ insurgant, ut, Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate &c. Est & ordo naturalis, ut uiros & fœminas, diem ac noctem, ortum & occasum potius dicas, quàm retrorsum. Iunctura est in uerbis incisis, membris, periodis. Curandum est, ne crebræ nimis uocalium & asperiorum consonantium concursus sint dehonestamento. Videndum etiam ne syllabæ uerbi prioris ultimæ, sint primæ sequentis, ut si dicas, Res inuisæ uisæ sunt. Vt initia clausulæq; plurimùm momenti habent, quoties incipit sensus, aut desinit, sic in medijs quoq; sunt quidam conatus, qui leuiter intersistunt. Itaq; membra & incisa benè incipere, atq; includi decet. Metrici pedes adeo reperiuntur in oratione, ut in ea frequenter non sentientibus nobis, omnium generum excidant uersus. Heroici pedes in principia decore cadunt. Nonnullis placet à superiore Pæone incipere, posteriore finire. Vt,

Comprimite, qui uestros socios domuerant.

Et uerbo in ſenſum claudere, ſi compoſitio patiatur optimum. Et alia lenius, alia concitatius, alia ſublimius, alia grauius, dicenda ſunt. Longæ igitur ſyllabæ grauibus, ſublimibus, & ornatis conueniunt, concitatis Iambi. Creticus initijs eſt optimus, & optimè incipitur à longis. Rectè aliquando à breuibus, ut Cicero pro Ligario, Nouum crimen &c. Clauſula è longis firmiſsima. Benè item claudunt, Ditrochæus & Amphimacrus, quem alij Creticum appellant. Cicero qro Rabirio, Vnius amici opes ſubueniſſent. Idem pro Cœlio, Fieri debuiſſe. Item pro Cecinna, ut iudicetis. Idem contra Rullam, Veniant coràm, & uobis flagitantibus, differant. Sed hic diſſimulatio curæ ſit præcipua, ut numeri ſponte fluxiſſe, non accerſiti & coacti eſſe uideantur. Verſum enim in oratione fieri multo fœdiſsimum eſt totum. Qua de re plura Cicero de Oratore tertio. Et libro nono ſatis Quintilianus habet.

Κυριολογία, propria & ſana oratio, quam ipſa ueritas & ſimplicitas exornant. Virg. in 1. Mecumq; fouebit Romanos rerum dominos, gentemq; togatam. Hic ſine lenocinio ueritas ipſa ſententiam ornauit, ut ait Diomedes. Hanc uirtutem Quintilianus non uno tantum loco laudibus uehit.

Τρόπος, *Est, ut ait Quintilianus, uerbi uel sermonis, à propria significatione in aliam cum uirtute mutatio, uel autore Donato, est dictio translata á propria significatione, ad non propriam similitudinem, ornatus necessitatisue causa. Clarissimi Latinorum appellarunt motum.*

Cuius priores partes colliguntur hæ:

Μεταφορὰ	Ονοματοποιΐα
Κατάχρησις	Αλληγορία
Μετάληψις	Περίφρασις
Μετωνυμία	Υπέρβατον
Αντονομασία	Υπερβολὴ
Επίθετον	Εμφασις
Συνεκδοχὴ	Ομοίωσις.

Μεταφορὰ, *Translatio est, quando uel nomen uel uerbum, ex eo loco, in quo proprium est, in eum in quo aut proprium deest, aut translatum proprio melius est, transfertur.*

Multis hoc modis fieri solet.

Deflexione, cum uox è propinquo, ad rem proximam detorquetur. Vt, uideo pro intelligo, concoquo, pro fero, deuoro, pro uinco uel perfero. Siquidem in ijs, id quod est corporis, ad animũ transfertur. Sic degustare primoribus labijs, Mordere labrũ, deflectere, In harenam descendere, Expergisci, quæ corporis sunt, et ad animũ transferri poterunt.

Ab irrationali ad rationale. Terent. in Adelphis. Quid ille gannit? Quod uulpium est proprium. Iuuenal. Satyr. 14. Et cum remigibus grunisse Elpenora porcis. Terent. in Heauton. Garris, unde id? Persius, Quid cornicaris inepte? Liuius, Scipionis magnitudinem allatrare solebat M. Portius Cato.

A rationali ad irrationale. Virg. 4. Georg.
Magnanimosq; duces, totiusq; ex ordine gentis
Mores & studia, & populos, & prælia dicam.
Sic uocamus Musicam lusciniam, cygnum Poëtam, ambitiosum Leonem, assentatorem canem, loquacem picam. Persius, Coruos poëtas, & poëtrias picas Cantare credas Pegaseium melos. Ouidius, Cantator cygnus funeris ipse sui.

Ab inanimali ad animal. Virgilius II. Æneid. Si tantum pectore robur Concipis. Hic à ligno ad hominem translationem fecit. Virgil. Ecloga 7. Ambo florentes ætatibus. Sic dicimus uiridem, floridam, uernantem ætatem, iuuentam, æuum.

Ab animali ad inanimal. Virg. in 4.
Ecce feræ saxi deiectæ uertice capræ
Decurrâre iugis. Idem.
At procul excelso miratus uertice montis.
Hominis uerticem ad saxum atq; montem traduxit. Virgil. Eclog. Omnia nunc rident, nunc formosissimus annus. Idem.

Idem. Claudite iam riuos pueri ſat prata bibêre.
Idē 4. Æne. Piniferūq; caput uēto pulſatur et imbri.

Ab animali ad animal. Sic dicimus, Paſcentes apes. Item, Coruos ſuibus inequitare.

Ab inanimato ad inanimatum, Sic dicimus ſyluas ſcatere, barbam ſylueſcere, pilos fruticare, orationem fluere, ſtudia florere, uindemiam mellis.

Ad hæc quædam translationes ſunt reciprocæ, ſiue communes quas Græci ἀκολουθὰς uocant, Nam ut pro gubernatore rectè dixeris aurigam, ita & pro auriga gubernator, ſic altum mare, profundum cœlum, iratum hominem, turgidum mare, ætatem auolare, annos labi, naues uolare, aues natare. Quædam unius duntaxat partis, quas illi ἀνακολουθὰς appellant. Siquidem ut rectè pro montis cacumine uerticem dixeris, ita non rectè, pro uertice cacumen ad hominem traduxeris. Item ut rectè, uites germinare, ſegetes fluctuare, ita non è contra.

Atq; hoc loco admonitum te uelim lector amice, translationē unam eſſe, quæ in loco adhibita, ingens decus addat orationi. Quare conſultum fuerit inſignium Metaphorarum uim ex optimis autorib. annotatam comparare. Sunt aūt (inquit Roterodamus) apud M. Tullium optimæ, apud Quintilia. plurimæ.

Κατάχρησις, Eſt autore Quintilia. uerborū abuſio, quæ nō habentibus nomen ſuū accommodat, quod in pro-

in proximo est. Vel secundum Diomedem, est necessaria similium pro proprijs abusio, & usurpatio nominis alieni. Vt si parricidam appelles, non qui patrem occiderit, sed qui fratrem aut sororem aut aliâs hominem quemuis. Virg. 2. Æneid.

Equum ædificant diuina Palladis arte.

Idem in Eclog. Vir caper ipse gregis deerrauerat.

Idem octauo Æneid.

Alba solo recubans, albi circa ubera nati.

Sic dicimus acetabula quicquid habent, & pyxides cuiusq; materiæ sunt. Illam quoq; κατάχρησιν quidam esse uolunt, cum pro temeritate uirtus, aut pro luxuria liberalitas dicitur, ut ait Quintilianus libro 8. capite 6. Cicero sic definit hanc figuram: Abusio est, quæ uerbo simili, & propinquo pro certo ac proprio abutitur, hoc modo. Vires hominis breues sunt, aut parua statura, aut longum in homine consilium, aut oratio magna, aut uti pauco sermone.

Μετάληψις, Est, ut ait Erasmus primo copiæ, ubi gradatim itur ad quod ostenditur. Virg. in 1.

Sed pater omnimo speluncis abdidit atris.

Nigræ enim intelliguntur, ex nigris tenebrosæ, ac per hoc in præceps profundæ, ut ait Diomedes. Verum huius Tropi usus magis incidit in carmine, quàm in oratione soluta. Quintilianus lib. 8. ca. 6. trans-

transſumptionem reddit. Quæ iuxta eundem autorem, ex alio in aliud, uelut uiam præſtat.

Virgilius in Eclogis.

Poſt aliquot mea regna uidens, mirabor ariſtas.
Nam per ariſtas intelligit meſſes, per meſſes æſtates, per æſtates intelligit annos. Sunt qui illud Exodi 14. *Egreßi erant in manu excelſa,* μετάληψιν *uocent. Quod ex ea intelligantur alacres, læti, animoſi. Etenim qui læti ſunt, manus eleuare, & altè ſolent incedere.*

Μετωνυμία, *Eſt tranſnominatio, uel ſecundum* Ciceronem, *Denominatio, ſecundum alios, nominis tranſmutatio, quæ à propinquis & finitimis rebus trahit orationem, qua poßit intelligi res, quæ non ſuo uocabulo ſit appellata. Id aut ab inuentore conficitur. Vt ſi quis de* Tarpeio *loquens, cum* Capitolinum *nominet. Vel cum inuentorem pro re inuenta, uel ſubiecta ponimus.* Virg. 1. Æneid.
Tum Cererem *corruptam undis, cerealiaq́; arma* Expediunt. Terentius. *Sine* Cerere & Baccho *friget* Venus. Virg. *Claſſes aquilonibus arcet.*
Item receptus è terra Neptunus. *Sic dicimus, uario* Marte *pugnatum eſt.* Vulcano *dicare. Hîc inuentor aut qui præſidet, pro re ſubiecta ponitur. Quod ſi uertas, erit durius, Vt, Vinum precemur, pro Baccho.*

Vel cum id quod continet, pro eo quod continetur, usurpatur. Virg. 7. Nunc pateras libate Ioui Sic dicimus: Epotos cados. Virg. in octauo. Cœlo gratissimus amnis. Seculum fœlix. Armis Italia non potuit uinci, nec Græcia disciplinis.

Vel cum id quod continetur, pro eo quod continet, ponitur. Virg. 1. Crateras statuunt magnos & uina coronant. ITEM. Si quis aurum, uel argentum, uel ebur nominet, cum diuitias uelit nominare. Durius erit si cum Virgilio dicas. Iam proximus ardet Vcalegon. Qui hominem pro domo posuit, secundo Æneidos. Terent. Eamus ad nos. id est, ad ædes nostras. Et cum dicimus hominem denorare, cuius patrimonium consumitur. Sic Horat. 2. sermonum. 5. De sene gustarit, dixit, pro de pecunia senis.

Vel cum efficiente effectum significamus, ut, Hic melior remis, significat enim uelocitatem, quæ per remos fit, ut ait Diomedes.

Vel è contra, ut, Frigus pigrum mœstumq; timorem Mittite. Virgilius in primo. Idem in sexto. Pallentesq; habitant morbi. Idem 3. Georgicorum. Tristisq; senectus. Horatius primo Odarum. Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas. Sic dicitur, ira præceps, hilaris adolescentia, inconsultus amor, inuerecunda nox, audax uinum, ars

desidiosa, quia desidiosos facit, ut ait Cicero.

Vel cum ducem ponimus pro his qui subsunt, ut cũ ab Hannibale cæsa apud Cannas 60000. dicimus.

Vel cum authorem pro opere ponimus. Sic dicimus Virgilium aut Plinium in manibus semper habendum. Simile est huic, cum sacrilegium deprehensum dicimus, non sacrilegum. Et armorum scientiam habere, non artis, ut ait Erasmus pri. Copiæ.

Vel cum intelligitur ab instrumento Dominus, hoc modo. Non tam citò Sarissæ Græcia potitæ sunt. Aut idem Gallos significans, dicat, nec tam facilè ex Italia armatura transalpina depulsa est.

Αντονομασία, Ea est, ut Erasmus inquit, nominis permutatio. Vt si quis pro Achille Peliden aut Æaciden dicat, pro Romanis Romulidas. Pro Troianis Priamidas, aut Dardanidas. Pro Hercule Tyrinthium. Pro Venere Cythaream, aut Cypridem. Pro Diana Cinthiam. Virgilius 4. Æneidos.

Talibus aggreditur Venerem Saturnia dictis.

Idẽ 8. Amphytrioniades armenta abitumq; pararet.

Fit tribus modis. Ab animo. Virg. in 5.

Magnanimusq; Anchisiades, & pondus, & ipsa.

A corpore. Virgilius in tertio.

Ipse arduus altaq; pulsat
Sydera, Dij talem terris auertite pestem.

Idem in 1. Ergo his aligerum dictis affatur amorem.

Extrinsecus. Virgilius in primo.

Infelix puer, atq; impar congressus Achilli.

Επίθετον, Adpositum, Quoties proprium nomen adiecto aliquo quasi uestitur. Virgil. in 1.

Sæuus ubi Æacidæ telo iacet Hector, ubi ingens Sarpedon.

Ibidem. At pius Æneas per noctem plurima uoluens.

Sumuntur autem ἐπίθετα, secundum Diomedem tribus modis, Ab animo. Virgil in primo.

Sæuitq; animis ignobile uulgus. Idem in nono.

Perculsa mente dederunt Dardanidæ lachrymas.

A corpore. Virgilius in 4.

Ipsa tenens dextra pateram pulcherrima Dido.

Idem in sexto.

Gratior est pulchro ueniens è corpore uirtus.

Extrinsecus quæ sumuntur, in plures species diuiduntur. Sunt enim à loco, ab actu, ab euentu.

A loco. Virgilius in primo.

Qualis equos Threissa fatigat Harpalice.

Idem in 3. Trinacria cernitur Æthna.

Ab actu. Virgilius septimo.

Tu quoq; littoribus nostris Æneia nutrix
Æternam moriens famam Caieta dedisti.

Ab euentu. Virg. in ſecundo.

Tenedos notiſsima fama, Inſula diues opum.

Συνεκδοχή, Quam lib. 4 ad Herennium Cicero uocat intellectionem, Eſt cum res tota, parua de parte cognoſcitur, ut, Non illæ te nuptiales tibiæ eius matrimonij commonebant? Sic mucronem pro gladio. Tectum pro domo dicimus.

Vel cum pars pro toto intelligitur. Vt, Si quis ei, qui ueſtitum, aut ornatum ſumptuoſum oſtentet, dicat, Oſtentas mihi diuitias, & locupletes copias iactas. Virgilius in primo.

Ingens à uertice pontus In puppim ferit. Idem 12.

Fontemq; ignemq; ferebant Velati lino.

Vel cum ex uno plures intelligimus, uel è contrà, Vt, Pœnus fuit Hiſpanis auxilio. Fuit immanis ille Tranſalpinus. In Italia nemo non idem ſenſit togatus. Atrox calamitas pectora mœrore pulſabat, itaq; anhelans, ex imis pulmonibus præ cura ſpiritus ducebatur. Quintilianus libro octauo. Maximè in orando ualebit numerorum illa libertas. Nam & Liuius ſæpè ſic dicit, Romanus prælio uictor, cum Romanos uiciſſe ſignificat. Et contrà Cicero ad Brutum, Populo inquit, impoſuimus, & oratores uiſi ſumus, cum de ſe tantum loqueretur.

Vel cum ex ſpecie genus intelligitur, ut Hor. 3. car. Odæ. 9. Iracundior Adria dixit, pro quouis mari.

Virgilius primo Georgicorum.

Poculaq́; inuentis Acheloia miſcuit uuis, pro quouis fluuio.

Vel quum ex materia res confecta cognoſcitur. Virg. in 1. Clam ferro incautum ſuperat.

Vel ex præcedentibus ſequentia. Vt, Virgineam ſoluit zonam, id eſt, deuirginauit. Ouid. in Epiſtolis, Caſtaq́; fallaci zona recincta manu.

Vel quum aliud ex alio intelligimus, Vt, Vixerunt, pro mortui ſunt. Nos quoq; floruimus. Et fuimus Troês. Et iam ſumma procul uillarum culmina fumant, Noctem imminentem intelligimus, quum longè aliud dictum. Porro hoc ex ſigno rem ſignatam colligimus, ut ait Eraſmus.

Ὀνοματοποιΐα, Nominis confictio, ſoni imitatione. Virg. 2. Æneid. Exoritur clamorq́; uirûm, clangorq́; tubarū. Idem, ſomnū ſuadebat inire ſuſurro. Ennius. Et tuba terribili ſonitu taratantara, dixit, pro cantu tubæ. Quod item genus ſunt, tinnire, balare, mugire, ſibilus. Cicero nominationem grauem appellat, quæ nos admonet, ut cui nomen aut non ſit, aut ſatis idoneum non ſit, eam noſmet idoneo uerbo nominemus, aut imitationis, aut ſignificatio-

cationis causa. Imitationis, hoc modo, ut maiores rudere, uagire, murmurare, & sibilare appellauernnt. Significandæ causa sic, Postquam ille in Rempublicam fecit impetum, frangor ciuitatis in primis est auditus.

Ἀλληγορία, quam, ut Quintilianus libro 8. capit 6. inquit, inuersionem interpretamur, cum aliud uerbis, aliud sensu ostenditur, uel ut Diomedes ait, est oratio, aliud dicens, aliud significans per similitudinem, aut per contrarium. Virg. 2. Georgicorum, Et iam tempus equûm fumantia soluere colla. Significat enim carmen esse finiendum. Ibidem, Mecœnas pelagoq; uolans da uela patenti. Non enim autor nauigationem, quam dicit, uult intelligi, sed Mecœnatis fauorem, ad carminis consummationem. Horat. 1. Odarum 14.

O nauis, referent in mare te noui
Fluctus, ô quid agis? fortiter occupa portum.

Vbi nauim pro Repub. Fluctuum tempestates, pro bellis ciuilibus. Portum, pro pace atq; concordia dixit, autore Quintiliano.

Hanc figuram Cicero permutationem uocat, orationem, aliud sententia, aliud uerbis demonstrantem. Ac diuidit in tres partes, Similitudinem Argumentum, & contrarium. Per similitudinem sumitur, cũ translationes una aut plures frequenter ponun-

ponuntur ſimili ratione ductæ, ut, Nam cum omnes funguntur officijs luporum, cui nam præſidio pecuaria credemus? Per argumentum tractatur, cum à perſona, aut à loco, aut à re aliqua ſimilitudo augendi aut minuendi cauſſa ducitur, ut ſi quis Druſum, Gracchum, Numitorem, obſoletum dicat.

Ex contrario ducitur ſic, ut ſi quis hominem prodigum & luxurioſum illudens, parcum, & diligentem appellet. Et ſi quem impium, qui patrem uerberauerit, Æneam uocemus. Intemperantem, & adulterum, Hippolytum.

Allegoriæ ſpecies.

Αἴνιγμα	Ἀστεϊσμός
Παροιμία	Μυκτηρισμός
Εἰρωνεία	Ἀντίφρασις
Σαρκασμός	Χαριεντισμός.

Αἴνιγμα, *eſt obſcura allegoria. Quod magis uitium, quàm uirtus, iuxta Quintiliani ſententiam. Virtus enim eſt, dilucidè dicere, Quo tamen dicendi genere & Poëtæ utuntur.* Virg. 3. Eclog.

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Treis pateat cœli ſpacium non amplius, ulnas.

Cuius etiam aptiſsimum exemplum extulit Heſiodus primo Ergo. πλέον ἥμισυ παντός. *Quod Plato libro de legibus tertio exponit multis uerbis, Quæ omnia huc tendunt, ſatius eſſe* ἀδικεῖσθαι

quàm

quàm ἀδικεῖν, hoc est, iniuriam pati, quàm inferre, Diomedes ait obscuram sententiam esse per occultam similitudinem rerum, uel dictionem obscuritate allegoriæ non intelligibilem, quæ palàm aliud ostendat, aliud tegat per obscuram diuersitatem. Vt, Mater me genuit, eadem mox gignitur ex me. Cum significat ex aqua glaciem concrescere & rursus in aquam resolui. Item, ut mare concretum in creta, ligneo in campo, ubi caro humana oßibus ludebat, cum significare uult salem in salino fictili, quod super mensam esset, in quam manus talos iactabat.

Παροιμία, id est, adagium, definitore magno illo Erasmo dictum celebre, aliqua nouitate insigne ut, Lupus est in fabula. Donatus ait esse accommodatum rebus temporibusq; prouerbium, Vt, aduersus stimulum ne calcitres. Et, cocta numerabimus exta, cum significet, ex euentu sciemus, ut ait Diomedes.

Εἰρωνεία, Hanc autore Quintiliano, uocant illusionem, quæ non ex uerbis, sed uel pronunciatione uel persona, uel rei natura intelligitur, ut Terentius in Andria, Heus tu bone uir, curasti probè.

Virgilius in quarto.

Egregia uero laudem, & spolia ampla refertis
Tuq;, puerq; tuus, magnum & memorabile nomen,

Vna

Vna dolo Diûm si fœmina uicta duorum est.

Σαρκασμὸς est autore Diomede, plena odio, atq; hostilis irrisio. Hunc iocum cum amaritudine uel exacerbationem uocant. Virgilius in secundo.

Cui Pyrrhus, referent ergo hæc, & nuncius ibis
Pelidæ genitori, illi mea tristia fata,
Degeneremq; Neoptolemum narrare memento.

Idem 12. En agros, & quam bello Troiane petisti
Hesperiam metire iacens, hæc præmia, qui me
Ferro ausi tentare, ferunt. Hac figura, ut autor est Iulius Ruffinianus, etiam fœdiora peculiariter significamus, non sine dicacitate concinna. Virgilius.
Nouimus, & qui te transuersa, &c.

Matt. 25. Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. Si rex Israêl est, descendat de cruce. Item, Psal. 21. Sperauit in domino, eripiat eum, saluum faciat eum, quoniam uult eum.

Ἀστεϊσμὸς, est orationis urbana festiuitas, aut secundum Diomedem, quicquid simplicitate rustica caret, & faceta satis urbanitate expolitum est.

Virgilius.

Qui Bauium non odit, amet tua carmina Meui,
Atq; idem uulpes iungat, & mulgeat hircos.

ITEM, Philippus cum uellet Persas in suam potestatem redigere, & in hoc exercitum misisset, scripsit

ſcripſit milites à ſe miſſos, quod comperiſſet ipſos ſeditione uexari, & bonorum eſſe, in tali tempore ſubuenire.

Μυκτηρισμός eſt, ut Quintilianus inquit, ſimulatus quidem, ſed non latens riſus. Quod ſatyra prima Perſius, naſo ſuſpendere notat. Μυκτὴρ enim Græcis, autore Iulio Polluce, naſum ſignificat.

Ἀντίφρασις, autore Donato, eſt unius uerbi ironia. Vel ſecundum Diomedem, dictio è contrario ſignificans. Vt.

Bellum, hoc eſt, minimè bellum. Lucus, quòd minimè luceat. Parcæ, quòd minimè parcant.

Diuus Hieronymus Monachum quendam Vigilantium κατ᾽ ἀντίφρασιν, uocitat.

Eumenides dictæ, quod minimè ſint mites, atq; beneuolæ furiæ.

Χαριεντισμὸς, Quo duriora re ipſa gratioſis uerbis molliuntur. Vel, ut autor eſt Donatus, Quo dura dictu gratius proferuntur. Vt quum interrogantibus nobis, nunquis nos quæſierit, reſpondetur. Bona ſalus, uel fortuna, quo intelligitur neminem nos quæſiuiſſe. Terentius in

Andria

Andria, Bona uerba quæso. Cum pistrinum deprecaretur Dauus. Quod Plato de Repub. primo εὐφημεῖν dicit. Et Græci κατ᾽ εὐφημισμὸν dicebant, γλυκὺς ἀγκὼν, id est, dulcis cubitus, deprecantes loci periculosi discrimina, ut ait Erasmus in prouerbijs.

Περίφρασις, Latinè, tametsi inuito Fabio, Circumlocutio, Est fusior & copiosior rei descriptio, Fit autem, ut ait Diomedes, ornandæ rei causa, quæ pulchra est. Virgilius secundo Æneid.

Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris
Incipit, & dono Diuûm gratissima serpit.

Idem in quarto.

Et iam prima nouo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens aurora cubile. Id est, Sol incipiebat lucescere, uel oriri dies.

Aut rei tegendæ gratia, quæ turpis. Virg. in 8.

placidumq; petiuit
Coniugis effusus gremio per membra soporem.

Quo circuitu, euitata decenter obscœnitate, ostendit concubitum. Virg. in tertio Georg.

Nimio ne luxu obtusior usus
Sit genitali aruo, & sulcos oblimet inertes.

Quo circuitu significat conceptum fœminæ difficilem. Hæc figura uocatur à Quintiliano loquendi circuitus, à Cicerone circuitio, hoc est, oratio

tio, rem ſimplicem aſſumptam circumſcribens elocutione, hoc pacto, Scipionis prouidentia Carthaginis opes fregit. Nam hic niſi ornandi ratio quædam eſſet habita, Scipio potuit, & Carthago ſimpliciter appellari. Iuuenal. *ſatyr.* 1.

Per quem magnus equos Aruncæ flexit alumnus.

Ὑπέρβατον *eſt, autore Donato, tranſcenſio quædam uerborum, ordinem turbans. Cicero tranſgreſsionem appellat, quæ uerborum perturbet ordinem peruerſione, aut traiectione. Peruerſione ſic, Hoc uobis deos immortales arbitror dediſſe, uirtute pro ueſtra. Traiectione, hoc modo, Inſtabilis in iſtum plurimum fortuna ualuit, omnes inuidioſè eripuit, tibi benè uiuendi caſus, facultates.*

Cuius ſpecies ſunt quinq;.
- Ἀναστροφή
- Διάλυσις, *uel* παρένθεσις
- Διακοπή, *uel* τμῆσις
- Σύγχυσις
- ὕστερον πρότερον, ὑστερολογία.

Ἀναστροφή, *Quàm reuerſionem Quintilianus uocat, eſt uerborum tantum ordo præpoſterus, ut ait Donatus. Hanc Diomedes appellat Inuerſionem dictionum, contra bonum orationis ordinem.*

Virg, 5. Furit immiſsis Vulcanus habenis Tranſtra per & remos.

Idem in primo, Carthago Italiam contra, Tyberinaq́; longè, pro, contra Italiam. Idem in Eclog. Ipsis ex uincula sertis. Idem Georgic. 3. Saxa per & scopulos.

Διάλυσις, *siue* παρένθεσις, *Est ordinis dissolutio, per interpositam sententiam. Hanc uocant Interclusionem, uel interpositionem, dum continuationi sermonis medius aliquis sensus interuenit, ut supra dictum est ex Quintiliano. Virg. in 1. Æneas (neq; enim patrius consistere mentem Passus amor) rapidum ad naues præmittit Achatem. Donatus definit interpositam ratiocinationem diuersæ sententiæ.*

Διακοπὴ, *siue* τμῆσις, *Dissectio, cum scilicet dictionis compositæ iunctura soluitur aliquo interposito. Virg. 3. Georg. Talis Hyperboreo septem subiecta Trioni. Cum iungi debet septentrioni. Terentius in Andria, Cum quibus erat, cumq́; una his sese dedere. Virg. 2. Æneid. Lupi ceu raptores atra in nebula &c. Idem duodecimo. Quo res cunq; cadent, nec me uis ulla uolentem Auertet. Iuuenal. saty 13. Fraudem iure tueri iurando. Lucan. lib. 2. Iam quot apud sacrum cecidere cadauera portum. Sacriportum intelligit prope Præneste.*

Hanc

Hanc figuram Sulpitius uictor ait etiam fieri, quum inter duo eadem uerba, diuersum ponitur aliquid medium. Virg. 4. Georg.
Duc age, duc ad nos, fas illi &c. Plura apud Linacrum libro sexto.

Σύγχυσις, Confusio. Est enim quoties ordo omni ex parte turbatur. Vel secundum Donatum, Hyperbaton ex omni parte confusum.

Virg. 1. Æneid.

Treis Nothus abreptas in saxa latentia torquet,
Saxa uocant Itali, medijs quæ in fluctibus aras.

Est enim hic ordo, Tres abreptas nothus in saxa torquet, quæ saxa in medijs fluctibus latentia, Itali uocant aras.

Idem in secundo.

Iuuenes fortißima frustra
Pectora, si uobis audentem extrema cupido
Certa sequi, quæ sit rebus fortuna uidetis.
Excesſere omnes adytis, arisq; reilctis
Dij, quibus imperium hoc steterat, succurritis
urbi Incensæ.

Cuius ordo est, secundum Tortellium, O iuuenes fortißima pectora, frustra succurritis urbi incensæ, quia excesſere Dij adytis. Vnde si uobis cu-

cupido certa est sequi me audentem extrema. Et *reliqua quæ Seruius & Macrobius prosecuti sunt latius.*

Idem rursus in primo.

Vina bonus quæ deinde cadis onerarat Acestes,
Littore Trinacrio dederatq; abeuntibus Heros,
Diuidit. Cuius, ut ait Diomedes, est ordo. Deinde Heros diuidit uina, quæ bonus Acestes onerarat cadis, & de Trinacrio littore abeuntibus dederat. Horatius 1. ser. satyr. 8. Lanea & effigies erat altera, Et paulo pòst, serpentes atq; uideres Infernas errare canes, Est enim ordo. Erat Lanea effigies, & altera cæra. Item, uideres serpentes errare atq; infernas canes, ut ait Linacer libro sexto.

ὕστερον πρότερον siue ὑστερολογία, Cum id quod secundo loco fit, priorem in orationis ordine poßidet. Vel ut Diomedes ait, Quod primum esse debet, secundo ponitur loco. Virg. in 4.

Postera Phœbea lustrabat lampade terras,
Humentemq́; aurora polo dimouerat umbram.

Prius est enim, ut noctis umbra discedat, deinde sol oriatur, Virgilius in primo.

Et torrere parant flammis, & frangere saxo.

Tortellius ait à nostris sermonem præposterum dici posse, ut, Postquam altos tetigit fluctus, & ad æquo=

æquora uenit. Nam prius ad æquora uenit, quàm fluctus tangeret. Virg. 1. Georg.

Area cum primis ingenti æquanda cylindro,
Et uertenda manu, Nam prius manus uertitur, quàm æquetur cylindro. Idem in sexto.

Sed cum, forte caua dum personat æquora concha
Demens, & cantu uocat in certamina Diuos.

ὑπερβολὴ, Est (Autore Diomede) dictio fidem ueritatis excludens, augendi minuendiue gratia. Augendi, ut candidior niue, candidior cygnis, hedera formosior alba. Minuendi, Tardior testudine. Folijs leuior. Virgilius in fine septimi.

Illa uel intacta segetis per summa uolaret
Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas,
Vel mare per medium, fluctu suspensa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.

Virg. in octauo. Fugit ilicet ocyus Euro.
Horatius. Sublimi feriam sydera uertice.
Quintilianus libro octauo, cap. ultimo, ὑπερβολὴν appellat dementientem superiectionem. Docetq; eam non esse debere ultra modum, cum non alia magis uia in κακοζηλίαν eatur. Cicero, Superlationem uocat orationem, quæ superet ueritatem alicuius augendi, minuendiue caussa. Hæc, inquit, sumitur separatim, aut cum comparatione. Superatim sic

tim sic. Quod si concordiam retinebimus in ciuitate, imperij magnitudinem Solis ortu, atq; occasu metiemur. Cum comparatione, aut à similitudine, aut præstantia superlatio sumitur. A similitudine sic. Corpore niueum candorem, aspectu igneum ardorem assequebatur. A præstantia, hoc modo, Cuius ore sermo dulcior melle profluebat. Item. Tantus erat in armis splendor, ut solis fulgor obscurior uideretur.

Εμφασις, Est expreßior denotatio, Cum ex aliquo dicto latens aliquid eruitur, ut ait Quintilianus. Virgilius in quarto.

Non licuit thalami expertam sine crimine uitam Degere, more feræ. Quanquam enim de matrimonio queritur Dido, tamen huc erupit eius adfectus, ut sine thalamis uitam, non hominum putet, sed ferarum.

Tortellius ait esse, cum maius dicitur, sub quo etiam minus intelligitur. Virg.1. Georg.

Cum iam sacræ deficerent syluæ, & uictum Dodona negaret. Hoc est, non solum aliæ, sed etiam sacræ. Nam teste Seruio, Harum sterilitas, aliarum denotat infœcunditatem.

Cicero significationem appellat. Quæ plus in suspitione relinquat, quàm positum sit in oratione.

Hæc cum multis, eodem autore, fiat modis,

hunc etiam habet præcipuum, quoties fixum pro mobili ponitur, ut scelus, pro scelesto, impietas, pro impio.

Ὁμοίωσις, *Est ignotæ rei, per eius, quæ magis nota est, similitudinem, demonstratio uel expressio. A Cicerone dicitur similitudo, quæ est oratio, traducens ad rem quampiam, aliud ex re dispari simile. Ea sumitur quatuor de modis, Aut ornandi causa per contrarium. Aut probandi per negationem. Aut apertius dicendi per breuitatem. Aut ante oculos ponendi per collationem.*

Ornandi causa per contrarium, sic, Non enim quemadmodum in palestra, qui tædas ardentes accipit, celerior est in cursu continuo, quàm ille qui tradit, ita melior Imperator nouus, qui accipit exercitum, quàm ille, qui decedit, Propterea quod defatigatus cursor integro facem, hic peritus Imperator imperito exercitum tradit.

Probandi causa per negationem, hoc modo, Neq; equus indomitus, quamuis natura benè compositus sit, idoneus potest esse ad eas utilitates & actus, qui desiderantur ab equo, neq; homo indoctus, quamuis sit ingeniosus, ad uirtutem potest peruenire.

Apertius dicendi per breuitatem, hoc modo. In

amicitia gerenda, ſicut in certamine currendi, non ita conuenit exerceri, ut quo ad neceſſe ſit perue-nire poßis, ſed, ut perductus ſtudio, & uiribus ultra facilè procurras.

Ante oculos ponendi gratia per collationem, ſic, Vti Citharœdus, cum prodierit optimè ueſtitus, palla inaurata indutus, cum chlamyde purpurea, coloribus uarijs intexta, & cum corona aurea, ma-gnis fulgentibus gemmis illuminata, citharam te-nens exornatißimam auro, & ebore diſtinctam, ipſe præterea forma & ſpecie ſit, & ſtatura appoſita ad dignitatem, ſi, cum magnam populo commouerit his rebus expectationem, repente ſilentio facto, uo-cem emittat acerbißimam, cum turpißimo corpo-ris motu, quò melius ornatus, & magis fuerit ex-pectatus, eò magis deriſus, & contemptus eijcie-tur. Ita, ſi quis in excelſo loco, & in magnis, ac locupletibus copijs collocatus, fortunæ muneri-bus, & fortunæ commodis omnibus abundabit, ſi uirtutis & artium, quæ uirtutis magiſtræ ſunt, ege-bit, quò magis cæteris rebus erit copioſus, & illuſtris, & expectatus, eò uehementius deriſus, & contemptus ex omni conuentu bonorum eijcietur.

Eiuſdem ſpecies ſunt. { Εἰκὼν, uel εἰκασμὸς, παραβολὴ, παράδειγμα.

Εἰκὼν, cum quippiam ad imaginem ipſius rei quaſi deſcribimus, Vel, ut ait Donatus, Eſt perſonarum inter ſe, uel eorum quæ perſonis accidunt, comparatio.

Virgilius in primo.

Reſtitit Æneas, claraq́; in luce refulſit,
Os humerosq́; Deo ſimilis.

Hic enim ad Dei imaginem Æneam comparauit Poëta.

Idem tertio Georgicorum.

Talis Amyclei domitus Pollucis habenis
Cyllarus, Hic enim equus equo comparatur.

Hæc figura uocatur à Cicerone imago, Quæ eſt formæ cum forma cum quadam ſimilitudine collatio. Sumitur autem laudis, aut uituperationis cauſſa.

Laudis, ut, Ibant in prælium corpore tauri ualidiſsimi, impetu leonis acerrimi ſimiles. Vituperationis, ut in odium, inuidiam, aut contemptionem adducat.

In odium, ut, Iſte quotidie per forum medium, tanquam iubatus draco ſerpit, dentibus aduncis,

aspectu uenenato, spiritu rapido, circumspectans huc atq; illuc, si quem reperiat, cui aliquid mali faucibus afflare, quem ore attingere, dentibus insecare, lingua aspergere poßit.

In inuidiam, ut, Iste qui diuitias suas iactat, sicut Gallus è Phrygia, aut ariolus quispiam depressus & oneratus auro, clamat & delirat.

In contemptionem, ut Tanquam cochlea abscondens retentat sese tacitus, quo sit tutus, comeditur cum domo sua, & aufertur.

παραβολὴ, Quam Cicero collationem appellat, Ea est, inquit Donatus, Rerum genere dißimilium comparatio. Plato in Euthyphrone. Iuuenum in primis rationem habere conuenit, ut in optimos uiros adolescant, haud aliter, ut prudentem agricolam teneriusculis plantis primam curam adhibere decet, deinceps uero & alias non negligere.

Virgilius secundo Æneidos.

Qualis mugitus fingit cum saucius aram
Taurus, & incertam percußit ceruice securim.

Cicero, Vt corpora sine mente, ita ciuitas sine lege, suis partibus ut neruis & sanguime, & membris uti non potest. Citante Quintiliano lib. 5. cap. 11.

πάραδειγμα, cum ex historia res aliqua narratur, qua uelut exemplo & ipsi huiusmodi, uel facere uel uitare.

Vel

Vel est secundum Donatum, Enarratio exempli hortantis aut deterrentis. Hortantis, ut, Virgilius in primo.

Antenor potuit medijs elapsus Achiuis
Illyricos penetrare sinus &c. Ibidem.
Pallas ne exurere classem
Argiuûm, atq; ipsos potuit submergere ponto,
Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oilei.

Deterrentis uel dehortantis. Virg. in septimo.

At non sic Phrygius penetrat Lacedæmona pastor
Ledæamq; Helenam Troianas uexit ad arces.

Cicero uocat exemplum. Et ait esse facti alicuius aut dicti præteriti, cum certi autoris nomine propositionem, Quæ rem ornatiorem, apertiorem, & probabiliorem soleat facere. Plura apud Quintilianum lib. 5. capit. 11. Erasmum secundo Copiæ.

AD ILLVSTRISSIMVM PRINcipem D. Ericum Ducem in Brunswig, & Luneburg, &c. de morte patris, Illustriß. Principis atq; ducis &c. iam pridem Haganoæ uita defuncti, Consolatio, uersibus centum absoluta, per Reinhardum Lorichium Hadamarium.

Funera

Funera qui defles chari genitoris acerba,
Principe rem dignam candidiore facis.
Et qui præstantum luxerunt fata uirorum,
Officijs functos credimus esse pijs.
Defleuit patrem natus generosus Ioseph,
Ossa Chanannæo condidit atq; solo.
Et Dauid Gnati Rex funera luxit, & eius
Occulto fallax quem tulit ense Ioab.
Saulis & interitu Regis suspiria ducens
Placauit Samuel ipse Propheta sacer.
Planxit item populus Regem lachrimabilis, ossa
In Mausoleo cuius humata loco.
In patris illustris miserando funere, quis tam
Ferreus, ut lachrymas temperet, esse queat?
Mortuus heu tantus Dux Brunsuicensis, amaros
Singultus cui non elicuisse queat?
Regna quieuerunt cuius rationibus æquis
Semper, & auspicio tuta fuêre bono.
Nostra tenere modum sed lamentatio debet,
Quos melior posito corpore uita manet.
Diuersis miseræ ducunt suspiria gentes
Fletibus, atq; solum quæstubus omne replent.
Post mortem quibus est spes nulla reposta salutis,
Qui sacras animas uiuere posse negant.
Nostra sonare decet moderato pectore læso,
Post mortes, quorum uita perennis erit.

Hæc

Hæc mundana licet uideantur ſplendida multis
Sæcula, ſunt uario plena dolore tamen.
Aula uiret, quæ tam modo fortunata, doloris
Expers, aut trepido non agitata metu?
Nulla uacant luctu cum celſis mœnia caſtris,
Martia cum uillis oppida nulla uacant.
Exequias igitur dicunt per gaudia Thraces,
Natalem celebrant flebiliore modo.
Ac urbes hominum miſeræ lugubria cladis
Septa, nimis uero protulit ore Solon.
Octobris quarta nonarum luce quod ipſum
Et factum in noſtra planius urbe fuit.
Clarus ubi cecidit fatis Eobanus acerbis,
Qui fuit Aonij gloria magna Chori.
Principis interitu ſic atro ſaucia, Parcæ
Pectora læſerunt uulnera noſtra nouo.
Gloria ſed reficit mœſtos in utroq; refulgens,
Hæc radiat uatum, promicat illa ducum.
Te recreent eadem tenerum communia pectus,
Nec nimis exanclent fata ſiniſtra tuum.
Multa quidem poterunt luctus augere, ſed extant
Plurima, quæ ualeant attenuare tuos.
Lædere tela ſolent magis improuiſa, ſed iſta
Non ex præcipiti fata fuêre tibi.
Non fruſtra diri toties arſere Cometæ,
Ne ſolis facies pulla nigrentis erat.

Quæ

Quæ per uirtutem ſuperam præſagia, triſtes
Summorum caſus prædocuêre uirûm.
Nonne tuus genitor fulſit ter maximus heros?
Et, quibus ortus erat, gloria ſumma Ducum?
Sed quia mortalis natus, mortalia fœlix
Depoſuit, retinens, quæ moritura nihil.
Factus ea tetrica modò tempeſtate beatus,
Qua uitæ nemo tempora plura petat.
Qua res humanæ filo pendere uidentur,
Qua coquit impietas prælia dira ferox.
Magna dabit ſeries grauium ſolamina rerum,
Qua ſummi genitor nomen honoris habet.
Nil proſunt lachrymæ, fletus compeſce nitentis,
Exhilaret uirtus te magis alma patris.
Imperio conſtat ſacro duraſſe fidelem,
In patriam meritis eximiumq; Ducem.
Maximus Æmilius teſtis, pro corpore cuius
In Venetos pugnans, uulnera ſæua tulit.
Auſtriaciq; Duces, quorum ditionis amore
Innumeris adijt prælia fœta malis.
Finibus adiecit latiſsima regna paternis,
Inuicta geſsit bella ſecunda manu.
Huius erunt teſtes Phryſij, cum Pæone Myſus,
Ac Morani teſtes, Bulgarijq; ſimul.
Sacra flagellatis pupillis anchora, aſylum
Et uiduis tutum, pauperibusq; fuit.

Inſontis

Insontis populi nunquam sua uiscera pauit
    Sanguine, auaritiæ nullus inhæsit apex.
Sorte sua uitam duxit contentus, honestis
    Prouidus & patrias artibus auxit opes.
Quæ comes obscœnæ malesuada libidinis ipsa
    Ebrietas, nullum quiuit habere locum.
Pluribus ast alijs nimium qui regnat in aulis,
    Pectora non rupit fortia turpis amor.
Rarior infractos uenatio reddidit artus,
    Non traxit nimio cuius amore furor.
Nullus adulator fuerat dilectus ab illo,
    Demophorus nemo, nemo tyrannus erat.
Pars erit historiæ, cunctumq; legetur in æuum,
    Seq; opus ingenijs, carminibusq; dabit.
Corpus inane tegit tellus Haganoica, summis
    Inclyta Principibus, Cæsaribusq; sacris.
Gloria quæ nescit mergi, super astra perennis
    Fulget, & æterno lumine uibrat humum.
Supprime iam lachrymas, ne flens uideare beati
    De patris euentu prosperiore queri.
Incolumem nobis te serua, Maximus in te
    Sospite, discrimen sarciet omne Deus.

F I N I S.

[illegible] per differentias intellectus
[illegible] tractatio de praedicamentis
[illegible] ex de praedicamentis [illegible] grad[illegible]
[illegible]: quo de praedicamentis: Ergo [illegible]
praedicamentis [illegible] et [illegible] inter considerationem
[illegible] et considerationem [illegible].
Alia definitio: Sunt ordines: in quibus
res de genere collocantur secundum [illegible] et [illegible]
[illegible] et [illegible]
Sunt ergo: qui [illegible] in [illegible]
genera sc: substantia et novem [illegible]
3 Cur ordo: de substantia primus
locus datus est in [illegible] per [illegible]
intelligentiae ordinis: primo loco substantia

quia: primo loco [illegible] substantia quia sub
stantia subiectis inhaerent accidentia
Accidentia impossibilia sine subiecto [illegible]
enumerantur sequitur [illegible]: et sunt 10
praedicamenta
5 Sequitur [illegible] praedicamentis: [illegible]
multa pro dialecticis [illegible] [illegible]
utilissimum praedicamentis. Et ideo hoc
dictum est ut non frustra hoc intelligamus [illegible]
[illegible] complexa [illegible] [illegible], [illegible]
Complexum [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] principalis [illegible]

[illegible]

apud Romanos [illegible]

ubi[illegible] [illegible]

[illegible], [illegible], [illegible],

[illegible]

[illegible]

Nomina [illegible]

[illegible]

Nom[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] minus [illegible]

[illegible]

aliqua si requiruntur quia [illegible] particul[illegible]

[illegible] beneficium habent [illegible]

beneficio [illegible] quandocumque [illegible] habet

locum in [illegible] beneficio [illegible] habet

locum in [illegible] [illegible] regular[illegible]

[illegible] habet [illegible] beneficio [illegible]

Differentias non habent [illegible] si [illegible]

Forte [illegible] [illegible]

[illegible] ad quod [illegible] sunt [illegible].

4 [illegible] 5



